DE VERSU SATURNIO

Theodor Korsch, C. Soldatenkov

DE VERSU SATURNIO

SCRIPSIT

THEODORUS KORSCH.

SUMPTIBUS

C. SOLDATENCOVII.

MOSQUAE.
IN OFFICINA GRATSCHEVII ET SOCIORUM
(у Пречистенскихъ воротъ д. Шиловой).
1868.

Печатать дозволяется съ разрѣшенія Историко-филологическаго факультета.
28 Марта 1868 года.

Деканъ С. Соловьевъ.

Cum de versu Saturnio scribere institui, non ignorabam, esse multos, qui in tanta reliquiarum penuria ab hac quaestione omnino abstinendum esse existimarent. Verum tamen, postquam inscriptionum Saturniarum copia viri praestantissimi Friderici Ritschelii curis ita expressa est, ut monumenta ipsa ante oculos tibi versari crederes, nulla causa esse videtur, cur nimis desperemus. Atque ita factum est, ut Duentzeri, Corsseni, aliorum religio minime impediret, quin ex studiis meis in hanc obscuriorem literarum Romanarum partem aliquid lucis redundaturum esse sperarem. Sed, quoniam novis doctrinae fundamentis utendum erat, omnia, quae ad versum Saturnium pertinerent, de integro excutere placuit. Itaque nihil, quod a vulgari Romanorum arte metrica abscederet, praetermisi, quin rationibus et, si fieri posset, exemplis confirmarem. Deinde, nequid temere positum esse videretur, ita materiem distribuebam, ut, antequam priora satis stabilita esse iudicassem, ad ea, quae sequerentur, non pergerem. Quod studium, etsi per se in primis utile est, tamen temporum iniquitate ex parte irritum cecidit.

Nam, cum multis ac variis negotiis districtus essem, tantum afuit, ut scribendi laborem continuarem, ut subsicivis, ut aiunt, operis rem tractarem. Neque contigit huic libello, quod Horatius maxime necessarium esse ducit, ut nonum in annum premeretur. Immo vero editio ita praecipitanda erat, ut, ubi primum absolutus esset, statim typographo traderetur. Quae cum ita sint, vereor, ne, dum subtilitati studeo, in loquacitatem hic illic inciderim, etiam si alia rursus copiosius explicanda esse videantur. Minora autem vel rei vel sermonis vitia iam nunc animadverto non pauca, quae ego, ut ait Ovidius,

> Emendaturus, si licuisset, eram.

Scribebam Mosquae mense Martio MDCCCLXVIII.

DE VERSUS SATURNII DOCTRINA,

qualis ante hunc diem exstiterit.

De versus Saturnii natura ac legibus iam inter Romanorum grammaticos, quorum quidem scripta ad nos pervenerunt, haud parva lis fuerat. Qui, cum antiqua vocalium mensura multis in rebus immutata esset atque Livii et Naevii carmina prope in dies rariora fierent, neque sibi hanc difficillimam quaestionem solvere neque nobis quicquam utile praeter fragmenta eaque pauca et corrupta prodere potuerunt. Itaque mirandum non est, quod quaecunque ante nostram aetatem, qua grammaticae quae dicitur comparativae ope multo subtilior priscae Latinitatis notitia comparata est, hoc de versu vel ab hominibus et doctrinae et ingenii plurimi scripta sunt, nihil fere continent, quod in usum possis convertere. Videbatur autem versus iambicus esse, ad Terentiani schema fere conformatus, caesura tamen non semper observata et aliis licentiis admissis, ut e Bentlei, Scaligeri, aliorum exemplis apparet. Neque multo meliores sunt Godofredi Hermanni Saturnii, cum

praeter motum quendam iambicum nullas certas leges declarent. Dicebat enim, satis habuisse antiquos, siquid versus simile fecissent. Hunc cum alii, tum Klussmannus secutus est, qui anno MDCCCXLIII Naevianorum carminum reliquias Ienae edidit. Sed quoniam neque Livii et Naevii versus omnes in eiusmodi schema cogi poterant et inscriptiones, quae Saturnio metro conceptae esse putabantur, praeter iambos alios pedes ostendere videbantur, Niebuhrius hunc versum pedibus bacchiacis, quibus spondei admiscerentur, constare existimavit. Atque complures versiculi eius doctrinam comfirmare videbantur, alii vero iambos pertinaciter referebant. Itaque duumviri doctissimi Lerschius et Duentzerus anno MDCCCXXXVIII societate inita sibi proposuerunt, ille grammaticorum veterum praeceptis excussis et collatis demonstrare, versum Saturnium, qualem illi voluissent, nunquam fuisse, hic, postquam locus ab socio vacuus factus esset, hominibus doctis persuadere, non versu, sed versibus Saturniis, in quibus syllabae tantum numerarentur, antiquos Romanorum poetas usos esse. Quae doctrina, cum per se ridicula sit, luculente ostendit, quam difficile fuerit eis, quae tunc essent, literarum emolumentis rem ad liquidum perducere. Nihil enim simile via et ratione reperiri, sed e rerum desperatione nasci poterat. Neque quisquam exstitit, qui eos imitaretur: quin etiam multi oblocuti sunt, in quibus Grauertus in Koenii libro, qui inscriptus est «Ueber die Sprache der Römischen Epiker», qui unam syllabam productam in duas distrahi coniecit. Muellerus tandem partim inscriptionum Saturniarum specie, partim veterum Germanicorum versuum similitudine ductus, theses supprimi posse animadvertit maximeque paenul-

timam. Sed cum neque eius rei condiciones perspexisset—adnotavit enim ad Festum p. 397, «supprimi posse theses omnes excepta ultima»—neque prosodiae antiquae probe gnarus esset, saepe facere non poterat, quin monstra versuum effingeret. Verum siquis monstrositate delectatur, hic Caroli Weisii libellum inspiciat «Der Saturnische Vers im Plautus», qui liber eodem anno, quo Muelleriana Festi editio, id est MDCCCXXXIX, Quedlinburgi in lucem prodiit. Ibi enim non modo versus, in quibus praeter arses paene nihil appareat, verum etiam et longiusculos et breviusculos et decurtatos quosdam reperiet. Quae cum ita essent, Corssenus, ut Muelleri doctrinam aliqua ratione constringeret, Lachmannum ex parte secutus in libro, quem de origine poesis Romanae fecit, primam syllabam prioris hemistichii et utriusque ultimas supprimi posse dixit, ceteras non item, ut versus pentametro dactylico, si cum heroo compararetur, similis esset. Neque mirum est, quod in tanta rationum et praeceptorum turba ac varietate Streuberus, vir ingenii non mediocris, libello, quem de inscriptionibus Saturniis anno huius saeculi XLV scripsit, nullam inscriptionem antiquam hoc metrum exhibere probabat, cum Hermanuus, Niebuhrius, Duentzerus, alii non modo Scipionum elogia, sed etiam Appii Claudii tabulam et antiquissima oracula legesque, quorum argumenta a Livio prodita sunt, in Saturnios, si dis placet, versus redigere non dubitavissent. Et vero ambigendi locus erat, dum e Livianorum et Naevianorum versuum frustulis, quae et a librariis et a grammaticis ipsis misere truncata et depravata plerumque ad nos pervenerunt, versus Saturnii praecepta petebantur. Quod cum a Friderico Ritschelio, viro aeter-

na laude digno, primum intellectum esset, omnis dubitatio una cum rei metricae interpretum libidine in perpetuum sublata est Ex quo enim ille in indice lect. univ. Bonn. aest. MDCCCLII «certissimum» ut ipse ait «verae doctrinae fontem esse monumentorum exempla librariorum nulli vel incuriae vel libidini obnoxia» significavit, nova et quidem unice vera via, etsi non ab ipso inventa, at certe aliis indicata est. Ipsius autem doctrina l. l. p. I sq. sic comprehensa est, «ut nec omittatur umquam vel prioris hemistichii anacrusis vel alterutrius thesis finalis, nec umquam alteri hemistichio anacrusis addatur, nec saepius, quam in singulis hemistichiis semel reliquae theses supprimantur, nec quicquam offensionis vel arsium solutio vel neglectio caesurae vel vocalium hiatus habeat». Exstiterunt sane vel postea homines docti, qui thesium in medio versu omissionem non probarent, in quibus Corssenus commemorandus est et duumviri Weilius et Benloewius. Ille enim in libro, qui inscriptus est «Ueber die Aussprache etc. der Lat. Sprache» huius metri exempla ita constituit, ut nulla thesis desideraretur, hi in libro, quem de accentibus linguae Latinae una fecerunt, Corssenum plerumque secuti sunt. Monumentis vero nemo se alienum praestitit praeter Pfavium, qui anno MDCCCLXIV, cum iam multae inscriptiones ab eodem Ritschelio optime editae publici iuris factae essent, hoc egregio investigandi adminiculo neglecto ex eodem, quo prius, fonte hauriendum esse existimavit. Est igitur eius doctrina fere eadem, quae a Muellero proposita est, hoc tamen additamento aucta, ut posteriori dimidio anacrusim addere et ultimam thesim solvere liceret. Sed sperandum videtur, alios, qui de versu Saturnio unquam scripturi

sint, haud prospero Pfavii successu deterritos viam illam falsissimam iam non ingressuros esse. Multo autem maior fuit numerus eorum, qui, quas Ritschelius significavit, leges aut nihil mutantes sequerentur aut eadem adhibita regula diligenter examinarent atque accuratius artiusque circumscriberent. Quorum hic nomino Keilium, Ribbeckium, Vahlenum, Guentherum, Buechelerum et, qui ad verum unus proxime accessit, Andream Spengelium. Hic enim in Philol. XXIII p. 81 sqq. partim eis, quae Corssenus de antiqua linguae Latinae prosodia tradiderat, praeceptis, partim eis, quae ipse e Plauti operibus hauserat, ingeniose usus cum alia, tum haec optime demonstravit, theses nisi medias in neutro hemistichio supprimi, caesuram non illam quidem negligi, sed duplicem esse, ultimam thesim neutrius dimidii solvi. Sed tamen mihi rem saepe ac diligenter consideranti ne hic quidem verum repperisse visus est, cum et thesium suppressionem, quamvis artioribus, quam prius, finibus descripsisset, tamen non satis subtiliter delineasset et Terentiani schema vel praeter monumentorum auctoritatem nimis religiose custodisset.

Ego, ut ad me denique veniam, inscriptiones, quarum certissima est fides, quasi pro fundamento huius operis posui idque ita, ut nihil in eis mutaretur, etiam si cum Terentiani norma hic illic non congruerent aut legibus metricis, quas e poematis aureae quae dicitur aetatis didicimus, subinde repugnarent. Neque tamen Plauti et Terentii rationes metricas ad institutum nostrum sufficere arbitrabar neque praeter summam necessitatem adhibendas esse. Quam ob rem hanc viam tutissimam esse existimavi, ut et Terentiani schema et aureae aetatis artem metricam semper una respicerem ne-

que tamen hoc aut illud, si res postularet, obstinatius tenerem. Quae hac ratione inventae sunt normae, eisdem usus sum in Livianis et Naevianis fragmentis diiudicandis. Nam grammaticorum hac in re auctoritas prope nulla est, praesertim cum poesis Saturniae monumenta, postquam lectitari et pueris dictari desita essent, postremum tam rara facta sint, ut prope nulli eorum, quorum opera ad nos pervenissent, illa in manibus fuisse auderem dicere.

Servius quidem ad Aen. III, 10 Belli Punici Naeviani mentione facta hoc addit: «Multi tradunt hoc in primo dictum: Troiae qui primus ab oris». Ceteri, si eadem fide essent ac simplicitate, non dubito, quin hoc tradendi verbo etiam in se satis saepe usi essent, cum de versu Saturnio loquerentur. Deinde Aulus Gellius, qui de versu Saturnio non scripsit, sed huius metri exempla aliquot servavit, Livii quidem Andronici Odissiam se vidisse certe testatur (XVIII, 9, 5), Naevii autem Bellum Punicum num diligenter legerit, sane disceptari potest. Nam neque ullum eius poematis fragmentum adnotavit, unde profecto multas voces antiquas eruere poterat homo antiquitatis amantissimus, sed tantum singula verba, quae aliunde sumere poterat (V, 12, 7; capit. VIII, 14), et, cum Naevii testimonio opus esset, ita adscribere coactus est (XVII, 21, 45): «Cn. Naevius poeta—quem M. Varro in libris de poetis primo stipendia fecisse ait bello Poenico primo idque ipsum Naevium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit». Neque aliter explicandum est Atilii Fortunatiani fastidium, cum dicit, se apud Naevium vix ullum invenire potuisse versiculum, quem pro exemplo poneret. Mentitur homo aperte: qui si Naevium unquam

legisset, prope affirmare ausim, eum vix ullum versum inventurum fuisse, quem non posset exempli causa ponere. Nam siquidem nos pro tam exiguo inscriptionum Saturniarum numero sat multos optimos versus reperimus, ille in magno opere clarissimi poetae certe plures invenire poterat, si inspexisset. Sed totus hic locus e Marii Victorini Artis grammaticae l. III c. 18 prope ad verbum expressus est, vel dicam, impudentissime surreptus: nam non modo auctorem non nominat, sed additamentis quibusdam lectoribus persuadere studet, nullo auctore se usum esse. Ita inter Marii verba, quae ne syllaba quidem mutata ad se transtulit, iniecit haec: «ut vere dicam, quod apparet», quanquam haec eadem Mario iam dudum apparuerant. Nam ego quidem, dum utrumque inter se compono, facere non possum, quin cum Streubero p. 47 sq. sentiam, Marium Atilio aetate anteiisse. Ceterum et Terentianum Maurum et Servium grammaticum et Diomedem et Marium Plotium et Marium Victorinum et Atilium Fortunatianum, quae de versu Saturnio tradidissent, partim inter se expilasse, partim ab aliis rei metricae scriptoribus, quos non novimus, sumpsisse, monumenta autem ipsos nunquam adiisse, apparet. Itaque quisquis eorum de versu Saturnio aliquid scriptum reliquit, nulla exempla Liviana adferre potuit, Naeviana haec:

Ferunt pulcras creterras, aureas lepistas.

et:

Novem Jovis concordes filiae sorores.

Et quidem prior versus a Mario Victorino bis positus est, sine mutatione, sic ut apud nos legitur, et immu-

tatus eadem fere specie, in quam a Terentiano Mauro in versibus exempli gratia redactus est:

Jam nunc vocet Camenas quis novem sorores.

Apud Terentianum (v. 2514) autem sic:

Ut si vocet Camenas quis novem sorores.

Nec mirum est, cur a Terentiano ita mutatus sit, qui non exemplo versus indigebat, cum ipse versibus scriberet, sed notum, ut videtur, eiusdem generis versum in legentium memoriam redacturus erat: sed Victorino quid eius modi mutatione opus erat, qui pedestri sermone uteretur atque illum versum iam apposuisset? Ego vero hoc nullo pacto explicare possum, nisi sic, Marium Victorinum totum hunc locum, qui mirum in modum Terentiani verba refert, ab hoc ipso Terentiano ad se transtulisse, paucis exemplis et praeceptis ex alio fonte additis. Quodsi Atilium Fortunatianum comparaveris, eiusdem Terentiani verba agnosces, sed ita, ut Victorinum inter utrumque medium fuisse dicas. Sed quoquo modo grammatici alius ab alio furati sunt, hoc mihi persuasum est, eos neque Livii neque Naevii poematis usos esse. Huc accedit, quod versum Romanum tanquam a Graecis inventum Graecorum arte metrica explicare conabantur. Terentianus autem, quoniam Graeca eius origine commemorata Euripidem, Aristophanem, Callimachum, alios, quorum versus a ceteris cum Saturnio numero comparantur, ne verbo quidem attigit, vel hanc ob causam si non antiquissimus eorum fuisse, at certe antiquissimam eius versus doctrinam tradidisse existimandus est. Sed de grammaticorum commentis hactenus: nam otium mihi fecit cum aliorum

doctorum hominum hoc in genere collocata opera, tum Lerschii et Streuberi (p. 28 sq.) acumen, qui, quam illi sibi adversarentur neque constarent, optime demonstraverant, et Pfavii diligentia, qui, quaecunque de versu Saturnio ab antiquis memoriae prodita sunt, undique collecta commentario perpetuo illustraverat.

Quae cum ita sint, mirandum non est, eius versus exempla a grammaticis non integra conservata esse. Nam modo vocem excidisse, modo verborum ordinem perturbatum esse, modo glossema in versum se insinuasse perspicuum est. Quid quod inter Livii et Naevii versus quattuor hexametros dactylicos offendimus? Sed tamen siquis omnes illas corruptelas grammaticis ipsis obiecerit, sane inique egisse videatur. Ego quidem certum habeo, lectores sciolos, qui de versibus Saturniis ne fando quidem audissent, non pauca mutasse, id est corrupisse, siqua forte minus recte se habere sibi viderentur. Huc accedit, quod et Liviana et Naeviana quaecunque nunc exstant, non ab iis, qui de versu Saturnio scripserunt, sed plerumque a grammaticis conservata sunt, qui vocabulorum aut declinationum priscarum, non metri causa ea rettulerunt. Quorum Priscianus longe plurima fragmenta adnotavit, secundum eum Nonius, deinde Festus, tum Gellius, ceteri non amplius terna. Sunt, quae ab interpetibus illustrandi et comparandi gratia allata sint, alia argumenti aut testimonii loco. Praeterea sunt tria Belli Punici Naeviani fragmenta, quae non levi fraudis suspitione notata sunt idque non temere. Leguntur enim in Calpurnii Pisonis libro quodam de Continentia Poetarum, qui liber praeter Paulum Merulam, doctum quidem hominem, sed dubiae admodum fidei, nemini mortali in con-

spectum venit. Sane suspitionis ibi locum esse negare non possum, sed hoc non obliviscendum esse existimo, tria illa fragmenta multo melius se habere, quam ipsi Merulae visa sint, neque cum eius schemate convenire, atque sicubi corruptelas ostendant, eas eiusmodi esse, quae prope nullo negotio tollantur, neque tamen iis auxiliis, quae Merulae temporibus nota fuerint. Sed maxime memoratu dignum est quattuor versiculorum fragmentum, quod ad tertium Belli Punici librum accensetur:

Sic Poenei contremiscunt artibus; universum
Magnei metus tumultus pectora possidet;
Caesum funera agitant, exsequias ititant
Temulentiamque tollunt festam.

Quorum primus versiculus, qui alibi non invenitur, levissima emendatione ab altero divellitur, ne sensus contra Saturniae poesis indolem ab antecendentis versus exitu in sequentem tam aspere transferatur: idque Merulam non fugit, sed emendationem, ut suo loco videbimus, usque ad finem perducere neque conatus est, cum eius metri leges ignoraret, neque, si conatus esset, ut tum doctrina erat, potuisset. Secundus autem versiculus etiam a Nonio conservatus est (s. v. metus p. 214 Merc., 145 Gerl.) sine Belli Punici nomine. Sed apud utrumque ita legitur, ut, nisi remedium quoddam Merulae ignotum adhibueris, iambici senarii speciem praebeat. Tertius vero et quartus non modo versus non sunt, verum etiam ita se habent, ut neque a Calpurnio Pisone enotati neque a Merula ficti, sed ex aliquo glossario pessime scripto sumpti esse videantur. Apud Festum enim sub voce «temetum» (p. 364 Muell.) in-

ter alia Novii exempla leguntur haec: «Idem in Funere: agite exite, temulentum tollite». Quae cum in glossario sive Forneriano, quo Merula se ad Ennii fragmenta locupletanda usum esse dicit, sive alio, in quo pro Novio, ut saepe, Naevii nomen legeretur, non satis distincte exarata essent addito ad extremum Festi nomine, Merula Naevii verba partim per compendium scripta esse ratus haec eruisse sibi visus est: «Caesum funera agitant, exsequias ititant temulentiamque tollunt festam». Atque illud *caesum* quid sit, nescio, sed temulentia illa festa quin recta a Festi nomine descenderit, equidem prope non dubito: particulam autem *que* de suo addidit, ne hiulca esset oratio. Quid quod ne coniunctae quidem ad arbitrium duae huius fragmenti partes videri possunt? Nam quicunque didicit, quam incerto ordine illa glossaria digesta essent, profecto non mirabitur, si *tumultum* et *temulentum* deinceps posita invenerit. Fraus igitur, siqua est, non tam in fragmentis ipsis, quam in Calpurnii Pisonis auctoritate quaerenda est. Ceterum, quamquam haec mea est opinio, tamen nunquam adducar, ut illis fragmentis fisus quidquam novi de versu Saturnio statuam. Sed de Merula satis: iam ad rei metricae scriptores redeamus. Hi igitur praeter duos Naevii versus, qui supra commemorati sunt, et praeter exempla ab se ficta, quae auctorum ignorantiam manifestant, Metellorum qui dicitur versiculum et duas tresve inscriptiones, ut ipsi aiunt, triumphales conservarunt. Ac de versu illo, quo Metelli Naevio poetae respondisse traduntur, cum, quid existimandum sit, ego nesciam, melius facturus esse videor, si legentem ad doctorum hominum iudicia delegavero, quae a Pfavio collecta sunt in adnotatione

p. 23 sqq. Inscriptionibus autem illis, quas Atilius Fortunatianus in triumphorum memoriam factas esse ait, quam nulla habenda esset fides, iam a Streubero demonstratum est p. 31 qq. Neque mihi obloqui cordi est, sed hoc addo, et Metellorum responsum et triumphatorum tabulas optimis versibus Saturniis concepta esse, ut neque a Diomede neque a Mario Victorino neque ab Atilio Fortunatiano neque ab alio id genus scriptore ficta esse videantur. Nam quod Streuberus (p. 32) partim adsentiente Pfavio (p. 46 adn.) in Regilli tabula, quae ita se habet:

Duello magno dirimundo, regibus subigundis,

bacchium *duello* et creticum *dirimun* deprehendit, nugatur homo doctissimus. Nempe *duellum*, *duellator*, *duellicus* ab antiquissimis semper per *u* consonans dicebantur, in *dirimendi* autem verbo *dis* particula inest integra, cuius vocalis, nisi abiectum sit *s*, nunquam producitur. Metellorum autem responsum Terentiano ceterisque aetate anteisse vel inde perspicuum est, quod iam apud Asconium Pedianum legitur (ad Verr. act. I c. 10, 29). Praeterea in VII Varronis de lingua latina (p. 28 Muell.) e Priami quodam carmine versus enotatus est, ut videtur, Saturnius:

Veteres Camenas cascam rem volo profari.

Sed quoniam tota res obscurior est, quam de qua aliquid certi dici possit, etiam hunc versum melius missum faciemus. Denique siquis omnibus incertis reliquiis praetermissis scire cupiat, quot Liviana et Naeviana fragmenta Saturnia ad nostra tempora pervenerint, sunt fere septuaginta, quorum pleraque singulos versus efficiunt, alia etiam tres quattuorve, alia versuum frustula sunt. Sed integros eorum versiculos quot noverimus, propter

hominum doctorum dissensionem dici nequit. Ac de grammaticorum quidem memoria dictum est.

Inscriptiones autem Saturnio metro comprehensas habemus octo: Scipionum sepulcrales quattuor, deinde Caecilii et Vergilii Eurysacis item sepulcrales, tum Soranam votivam, postremum L. Mummii Achaici triumphalem, id est versus, ut mihi videtur, XXXVIII. Haec totius rei fundamenta sunt, quae qui neglexerit, fieri non potest, quin aut cum Duentzero syllabarum rationem subducturus aut cum Pfavio omnes theses in malam crucem ablegaturus sit. Sed vel in hoc tam parvo numero dubia non desunt. Nam in Mummii tabula quomodo versus digerendi sint, adhuc non constat, in Caecilii elogio mendum latere videtur, in aliis singuli versus quomodo recitandi sint, ad liquidum nondum perductum est. Sed quid multa? Cum toto hoc libello ne transversum quidem digitum, ut aiunt, ab inscriptionibus abscedatur, id genus monumenta quomodo se habere videantur, per se planum futurum esse spero.

DE VERSU SATURNIO,

qualis esse videatur.

Cum ea, quae a Terentiano Mauro de versu Saturnio tradita essent, ad veram antiquamque rationem propius accessisse, quam ceterorum commenta, supra viderimus, nunc, postquam ad ipsam huius metri doctrinam perventum est, ab eiusdem auctoris schemate initium capiamus. Atque hic quidem dicit versum Saturnium esse dimetrum iambicum catalecticum, qui adiunctus sit tribus trochaeis hoc modo (v. 2514),

Ut si vocet Camenas quis novem sorores.
Et Naevio poetae sic ferunt Metellos,
Cum saepe laederentur, esse comminatos:
«Dabunt malum Metelli Naevio poetae».
«Dabunt malum Metelli» clauda pars dimetri.

Deinde v. 2523:

Post «Naevio poetae» tres vides trochaeos:
Nam nil obest trochaeo, longa quod suprema est.

Quae quin Saturnii versus exempla Terentiano quidem visa sint, dubitari non potest. Sed quamvis horum ver-

siculorum comparatione iudicandum sit, quae inscriptio ad hoc metrum pertineat, quae non item, illi ipsi utrum ab omni parte cum antiquorum norma congruant necne, earundem inscriptionum testimonio probandum est. Nam Terentianum praecepta sua non e fonte ipso hausisse, sed ab aliis rei metricae scriptoribus inventa, postquam versus Saturnii memoria prope obliterata esset, nobis tradidisse, veri non dissimile est. Ac primum omnium hoc considerandum est, cum in omnibus antiquissimorum versibus et iambicis et trochaicis theses non suo loco producerentur productaeque solverentur, in hoc vetustissimo ac populari numero, qui ex utroque compositus esset, hoc idem multo magis fieri potuisse. Quod si tenebimus, hi versus, quorum duo in Scipionum, quartus in Caecilii elogio, tertius in dedicatione Sorana est, a Terentiani schemate non longe aberrare videbuntur:

Is hic situs, qui nunquam victus est virtutei.
Facile facteis superases gloriam maiorum.
Decuma facta poloucta leibereis lubentes.
Bene rem geras et valeas, dormias sine qura.

E Naevii Bello Punico:

Novem Jovis concordes filiae sorores.
Plerique omnes subiguntur sub suum iudicium.
Superbiter contemptim conterit legiones.
Ferunt pulcras creterras, aureas lepistas.
Seseque ei perire mavolunt ibidem.
Sicilienses paciscit opsides ut reddant.

E Naevii elogio, quod est apud Gellium I, 24,2:

Inmortalis mortalis si foret fas flere,
Flerent divae Camenae Naevium poetam.

E Livii Andronici Odissia:

Ibi manens sedeto, donicum videbis.

Sed si non nullarum syllabarum, quae sub rei publicae finem corripi coeptae sunt, antiquam longitudinem revocaverimus, huiusmodi versuum numerus multo amplior erit. Ac primum quidem, cum *i* literam terminationis *ius* antiquitus longam fuisse a Friderico Ritschelio in indice lectionum hibernarum 1853—4 et a Corsseno libri, qui est de pronuntiatione et accentu linguae Latinae, I p. 150 satis demonstratum sit, primus eorum, qui in Scipionis Barbati sepulcro leguntur, versiculus optime procedet:

Cornelius Lucīus Scipio Barbatus.

Deinde tertiae personae numeri singularis terminationes in *t*, quae etiam a Vergilio, Horatio, aliis producte interdum dicebantur (v. Corssen Aussprache etc. I, 348 sqq., Krit. Beitr. p. 555 sqq.), Saturnio in versu quod saepissime producuntur, mirandum non est. Cui invento aliud si addideris, quo demonstratur *or* terminationem productam vocalem in nominativo non minus, quam in ceteris casibus olim habuisse (v. Corss. ib. I 364 sqq.), optime legere poteris hos versus, qui sunt in Scipionum elogiis,

Consol censōr aidilis quei fuīt apud vos.
Consol censōr aidilis hec fuēt apud vos,

et hunc Naevii

Verum praetōr advenit, auspicāt auspicium.

Etiam *a* literam, in quam nominativus singularis I declinationis caderet, diu longam fuisse e Corsseni I p.

33 sq. apparet. Cuius exemplis Brix (ad Trinummum v. 187) addit Plautina haec:

Lucri causa avarā probrum sum exsecuta
(Truc. II, 5, 8).
Ampelisca. Hem quis est? Ego. Palaestrắne?
Sum (Rud. I, 4, 15—237).
Fac videam, si me vis vivere. Eho istinc, Can-
tharắ, iube (Epid. IV, 1, 40).

Dubitat de Terentii Hec. prol. 2:

haec quom datast
Novắ, novom intervenit vitium et calamitas.

Poterat addere ex eodem Trinummo II, 1, 23 (251):

Nox datur, ducitur familiắ tota.

Fortasse eodem referendus est Vergilii Aen. XII, 648

Sancta ad vos animắ atque istius inscia culpae.

Itaque bene se habent hi versus, qui in Scipionum elogiis sunt:

Honos famắ virtusque, glori*a* atqu*e* ingenium.
Terrắ, Publi prognatum Publio Corneli.
Quoiei vitắ defecit, non honos honore

et hic Livii

Sanctắ puer Saturni filiắ regina.

Similiter *que* coniunctio, quippe quae ex ablativo *queid*, *quei* orta esset, non modo ab antiquissimis poetis, verum etiam a Vergilio quique post eum versus fecerunt saepissime sub ictu ponebatur (Corssen Ausspr. I, 336 sq.). Neque desunt vestigia antiquae longitudinis *a* literae, qua clauditur nominativus et accusativus pluralis neutrius generis, sic ut in Vedica dialecto *viçvâ*

omnia pro eo, quod in communi Indorum veterum sermone est, *viçvâni* et multa alia, qua de re vide Boppii gramm. compar. II 463 alter. edit. et Schleicheri Compend. d. vergl. Gramm. p. 441 sq. In numerorum vocabulis, qualia sunt τριάκοντα *trigintā*, *quadrāgintā*, πεντήκοντα *quinquāgintā*, *sexāgintā*, eandem terminationem adgnovit Corssen Krit. Beitr. p. 508 sqq. Sed quid multa? Etiam exempla habemus. Spengelius enim in Philol. XXIII 89 e sortibus antiquis hos adfert hexametros dactylicos, qui nunc expressi sunt in Ritschelii Corp. Inscr. tab. II:

De vero falsă ne fiant iudice falso.
De incerto certă ne fiant, si sapis, caveas.

Apud Terentium invenitur hoc in choriambo Ad. IV 4,3 (612):

Membra metu debiliă sunt, animus timore.

Recentiora sunt haec. Verg. Aen. III 464:

Dona dehinc auro graviă sectoque elephanto.

Propert. V,5,64:

Per tenues ossă sunt numerata cutes.

Juven. 10, 54:

Ergo supervacuă aut perniciosa petuntur.

Itaque optime se habet hic Naevii versiculus, qui legitur apud Paulum:

Scapos atquĕ verbenas sagmină sumpserunt.

Quotquot igitur adhuc exempla attulimus—sunt autem XXI—sed tamen quotquot attulimus, omnia non modo non evertendae, sed potius stabiliendae Terentiani nor-

mae sunt. Ex qua apparet, versum Saturnium compositum esse e dimetro iambico catalectico et e tripodia trochaica, quorum theses satis licenter producantur, vel, ut a metricorum Graecorum usu, qui hac in re nihil nisi impedimento est, paullum abscedam, e tribus iambis cum syllaba atque e trochaeis item tribus. Est igitur hic versus quem dicunt longus non ea quidem significatione, qua ab Ennio hexameter dactylicus longus nominatus esse dicitur—quamquam is quoque eodem pertinet —, sed qua Germani versum suum epicum antiquum *Langvers* sive *Langzeile* appellant. Quod ut recte intellegatur, cum de longorum versuum, tum de Saturnii origine pauca dicenda sunt.

Atque eius origo, quam Graecam esse ait Terentianus, non magis in Graecia, quam in Scandinavia aut in Judaea quaerenda est. Nusquam enim eiusmodi versus populares inveniuntur, qui ex alieno metro orti sint, postquam aliquid hinc aut illinc accessisset, ut illi tres trochaei, qui cum ad Graecum versiculum iambicum adiuncti essent, Saturnius versus prodiisse dicitur. Sed plerique orbis terrarum populi, sive eo sermone utuntur, in quo productarum et correptarum differentia clare auditur, sive eo, in quo accentus dominatur, eiusmodi versus habent aut antiquitus habuerunt, qui e binis ternisve arsibus, quibus theses aliquot accederent, conformarentur quique propter summam thesium inconstantiam in pedes digeri nullo modo possent. Haec est enim antiquissimae poesis condicio, ut, cum arsium modo certo numero versus regatur, thesibus ad nullam aliam rem opus sit, nisi quarum comparatione arses distinguantur. Ex quo efficitur, ut ne hoc quidem ad numerum intersit, utrum versus ab arsi an

a thesi ordiatur, neque hoc, utrum arsim tres duaeve an una thesis sequatur, neque utrum quaeque arsis thesim post se trahat an duae arses se excipiant. Quod genus versus eique et duorum et trium ictuum in Scandinavorum veterum poesi optime cognosci possunt, quales sint. Ac dimeter quidem versus — sic enim potius eum dicemus, quam duorum ictuum — dimeter igitur, qui eorum lingua Starkadharlag dicitur, in eius certe populi carminibus multo remotiorem antiquitatem refert, quam trimeter Scaldorum, cui Drôttkvaedhi nomen est. Ceterum trimetrum quoque apud eos inde ab antiquissimis temporibus in usu fuisse, declarat Ljôdhahâtti quae dicitur strophae ultimus versus et Rûnhenda, quae, quanquam trimetra sunt, easdem, quas dimeter, licentias patiuntur. Sed iam exemplum dimetri ponamus, quod ex Edda vetustiore a Raskio sumptum est:

Sákn*a* *e*k î séssi
Mîns málvin*a*r;
Valda mêgir Gjûka
Sýstur sínnar

Ok saéingu
Valda mêgir Gjûka,
Mînu bölvi,
Sârum grâti.

Animadverte, ea, quae inclinata literarum forma a nobis notata sunt, tam breviter dici, ut ad metrum non pertineant. Trimetri exemplum e Rûnhenda sit:

Théss mun grépp vára Gúllhrìng spára.

Nec dissimilem versificandi rationem apud Hebraeos Meier repperit. Cuius e libro (Die Form der Hebr. Poesie p. 26) hoc exemplum sumpsi:

Mé haokél Iazá maakál
U'-me-ás Iazá matóq.

Eodem fere numero composita est nota illa Russorum fabella, qua de ineptiis stulti cuiusdam narratur (v. Кирша Даниловъ, Дурень). Cuius initium hoc est:

Жи́лъ-былъ Ду́рень, Безтолко́вый ба́бень.

Sed eiusmodi versus, cum apud omnes fere populos bini usurpentur, non singuli, ita plerumque construuntur, ut bini quique aliqua re aut inter se similes aut dissimiles sint, id est, ut constanti aliquo modo sibi respondeant, primoque aspectu hemistichia potius, quam integri versus esse videantur, sin minus, ut saltem strophae binorum versiculorum distingui possint. Itaque apud Scandinavos strophae sunt quaternum, octonum, denum versiculorum, vel dicam, binum, quaternum, quinum hemistichiorum, apud Hebraeos binum, senum, octonum, denum, duodenum versuum. Sin autem in eorundem populorum carminibus impar numerus invenitur, aut mendum aliquod latere suspicandum videtur aut ille versus, qui normam turbat, intercalaris habendus est. Sed quo breviores sunt versiculi quoque artius inter se cohaerent, eo facilius haec pusilla hemistichia in unum longiorem versum abire intellegitur. Et vero fit saepe numero, ut ex iis longioribus versibus, qui e brevioribus ita conflati sint, versus longi qui dicuntur rursus exsistant. Quod genus est Scandinavorum Liljulag et illud metrum, quo Hildebrandi et Hadubrandi certamen si non totum, at certe plerumque scriptum est, ut hic versus significat:

Híltibràht gimáhaltà Héribràntès súnu.

Eodemque metro, sed iam homoteleutis diviso Christi vita ab Otfriedo descripta est. Sed ut apud Scandinavos iam erat Ljôdhahâttr, id est stropha, cuius partes

erant duo versiculi dimetri, quibus trimeter adiunctus est ad hoc exemplum:

Vésaell mádhr   Ok íllur skápi
Hlaér at hvî vètna,

ita hic versus tetrameter, sive potius quaternarius dicendus est, etiam cum trimetro componi potest, cuius metri exemplum e Nibelungis ponamus:

Uns íst in álten máerèn   wúnders víl geseít.

Eandem originem prodit Anglorum versus epicus, qui, quanquam in duos versus nunc plerumque dividitur, sed quomodo sit dividendus, homoteleuta declarant. Cuius metri duo exempla ponamus ex antiquo poemate, quod est de vita Roberti de Gloucester:

Gilbért was Thómas fáder náme, that trúë wás and gód,
And lóvede Gód and hóli chúrche, siththe hé wit únderstód.

Et rursus:

Hí and óther Chrísten mén, and in lóng prisoún idó
'In meseíse and in pýne ynoúgh of húnger and chíle alsó.

Neque aliter ortus esse videtur Graecorum versus πολιτικὸς, qui cum septem ictus ad iambicum numerum dispositos habuisset, postremum eo licentiae progressus est, ut praeter syllabarum certum numerum et ad extremum duos trochaeos nihil, quod versus simile esset, non nunquam ostenderet. Cuius modi versus leguntur in annali, qui inscribitur Χρονικὰ τῶν ἐν Ῥωμανίᾳ:

Παρελθόντων γὰρ ἑκατὸν τῶν χρόνων πληρωμένων.

Et paullo post:

Πρῶτος ἦτον ὁ Παντουῆς ὁ κόντος τῆς Φιλάνδριας.

Trimetri autem nunquam in unum versum conflantur, sed semper ita coniunguntur, ut versus longus fiat. Quod genus est Scandinavica Dróttkvaedhi, quae ita se habet:

Fŷsumst híns at haétta, Heím bjôdh*u* mêr dîsir,
et Saxonum Anglicorum versus epicus, quem a Scandinavis videntur accepisse.

Idem fere metrum, sed paullo severius conformatum, quamvis ad syllabicum quod dicitur versificandi genus inclinetur, in Slavorum occidentalium cantilenis frequentatur, quarum notissimus est Polonorum Krakowiak. Exempli loco Bohemicae cantilenae initium apponam:

Měla sem holaubka V truhle zawřeného,
On mi gest uletěl Do polė šjrého.

Quod metrum quam antiquum sit, inde intellegitur, quod non modo integra Zbyhoni caedes, sed etiam antiquissimi eiusdem collectionis Cralodvoriensis poematis, quod est de Zaboio et Slavoio, non ita pauci loci eo concepti sunt. Sed, quod mirere, eodem numero in remotissimis orbis terrarum finibus, dico in Americae meridianae quadam parte, nihil usitatius atque tritius est. Ad eundem enim modum Yaravís a Peruvianis decantatae compositae sunt, quarum species haec est:

Pajarito verde Peche colorado,
Eso te sucedò Por enamorado.

Sed haec accentu nituntur neque aliam ob causam a nobis prolata sunt, quam ut ea, quae ad longitudinis dif-

ferentiam composita essent, hac similitudine plana fierent. Nam metricae quae dicitur poesis primordia, cum praeter pauca et ea obscura vestigia temporis serie prorsus obliterata sint, quem ad modum sese habuerint, per se diiudicari nequit. Sed iis, quae supra explicata sunt, comparatis probabile fit dipodias trochaicas et iambicas et anapaesticas, quae non modo apud Graecos, sed etiam apud Arabes inveniantur, nihil aliud esse, nisi versiculos illos dimetros, quibus breviores versus esse non possint. Quod si ita est, eadem ratione, quae supra demonstrata est, versus longos, deinde strophas, postea, cum caesurae memoria propter nimiam versiculorum tum brevitatem, tum cohaerentiam paullatim evanuisset, longiores versus unum ex altero factos esse, donec ad longissimos octonarios, qui caesura carere vix possent, perventum esset, haud absurde conicere licet. Sunt igitur octonarii e stropha orti duorum distichorum, quam etiam e Scandinavorum Starkadharlago fieri posse vidimus. In Sloco autem, Indorum veterum metro epico triginta duarum syllabarum, cum aperte e duobus versibus paribus compositus sit, qui ipsi caesura immobili in partes octonum syllabarum dividantur, si in dissecando ulterius progressus fueris, eosdem versiculos dimetros in Starkadharlagi vulgatissimam stropham octo versuum, quorum bini, ut fere fit, in unum coaluerunt, ne arte quidem coactos facile distingues. Quid quod sedecim syllabarum versus, id est Sloci dimidium, in Vedorum libris per se constat? Nam quod in Sloco pro ictuum certo numero syllabarum numerus observatur, nihil impedit, quin ad metricum poesis genus accenseatur. Extrema enim cuiusque Sloci versus pars, quae in omni versu

maiore diligentia expolitur, duos iambos puros exhibet et quidem non ad accentum, sed ad vocalium longitudinem factos, id est, ultimus cuiusque hemistrophae versiculus duplicem ictum, quem omnes versiculi antiquitus habuerant, non amisit. In ceteris autem partibus, postquam antiqua illa versuum pangendorum ratio obscurata esset, quomodo syllabarum numerus ictuum locum obtinuerit, perspicuum fiet, si duo, quae supra leguntur, versus politici Graeci exempla comparaveris, in quibus pro accentibus ictibusve praeterquam ad extremum syllabae numerandae sunt. Servati tamen sunt etiam ad haec tempora aliquot Sloci, qui singulis syllabis initio appositis longiores sunt, quam esse solent, qua de re vide apud Boehtlingkium Chrestomathiae p. 447. Sed hic monendum videtur, nequis Pfavio fidem habeat, qui cum ictuum certum numerum in Sloco inesse probare conatus esset, hoc probavit, se nescire, quae vocalis producenda, quae corripienda esset (p. 54 sq.). Neque trochaicum numerum recte invenit, ubi exitus iambicum potius significat. Arabum vero versus longiores, quos ipsos e dimetris plerumque versiculis coaluisse vel eorum metrici sciunt, semper bini coniunguntur, ut homoteleuta deinceps non accedant, quae complexio eorum lingua dicitur Beit.

Neque minus certa sunt eiusmodi trimetri metrici vestigia idque in Romanorum antiqua poesi. Nam in fratrum Arvalium carmine praeter alia non satis perspicua leguntur haec:

Enós Lasés-iuváte.

Sémuneís altérnei 'Advocápit cónctos.

Enós Marmár iuváto.

Deinde in Ritschelii Corp. Inscr. tab. LXXXVIII:

Fuít Atístia úxor, Mihi fémina opítuma veíxit,
Quoius córporís relíquiae, Quot súperant, súnt in hóc
Panárió.

In eodem monumento Spengelius p. 94 verissime versus distinxit sic:

Pistóris rédemptóris.
Appáret.

Atque nescio, an in inscriptionibus plures eiusmodi versus lateant, quale est hoc:

Frugé boná pudíca.

Itaque antiquissimis temporibus Romani hoc versu trimetro utebantur, neque graviter fallitur Terentianus, qui dimetrum iambicum catalecticum apud eos invenisse sibi visus est. De iambis tamen, quales apud Graecos exstiterint, hic cogitandum non esse, ex exemplis nostris apparet, in quibus neque thesium productarum legitimus locus neque anacrusis observata est. Longos autem versus, qui hoc metro duplicato orti sint, nunquam inter se tam arte coalescere, ut unus oriatur, cum tonicae quam vocant poesis similitudo, tum eiusmodi versus ambitus satis demonstrat. Atque, ut ad propositum tandem redeamus, hoc genus versus Saturnius habeatur necesse est. Quis est enim, qui eum versum longum, e duobus trimetris compositum, esse neget, praesertim cum in Romanorum veteri poesi et iambicos et trochaicos trimetros viderit? Has enim partes in Saturnio versu inesse Terentianus docet.

Quod cum a nobis satis demonstratum esse videatur, Saturnium versum longum esse, id est, qui non arbitrio huius illiusve poetae, sed origine et natura in

duo hemistichia, qualiacunque sint, ea fere caesura, quae e Terentiani exemplari appareat, medius dividatur, vix opus esse arbitror insuper monere, eum, quoniam asynartetus sit, hiatum inter utrumque dimidium sine ulla offensione recipere. Quam ab rem, si ea, quae supra leguntur, antiquae vocalium longitudinis exempla tenebimus, optime procedet hic versus, qui in Scipionis Barbati elogio extremus est:

Subigít omne Loucanam—opsidesqu*e* abdoucit.

Deinde Livianus hic:

Tuqué mihí narrato—omniá disertim.

Tum Naevii:

Quam cum stupro redire—ad suos populares.

Quoniam autem etiam *e* literam, in quam imperativus III coniugationis caderet, antiquitus productam fuisse, ut Graeca δίδου, τίθει alia, demonstravit Corssen (Ausspr. I 338 sq.), bene Livius Odissiam exorsus est sic:

Virum mihí, Camena,—insecē versutum.

Itaque male fecerunt cum alii, tum Vahlenus, Guentherus, Pfavius, qui fragmenta Liviana et Naeviana novissimi ediderunt, ut caesurae rationem non haberent. Neque Corssenus hanc reprehensionem effugit, qui bene se habere versus existimavit, qualis est hic:

Quoíus fórma vírtuteí parísuma fúit.

Vide eius Beitr. p. 544 et Nachtr. p. 94. Contra Spengelius p. 107 in hoc Naeviano, quod est

Sacr*a* in mensa Penati*um* ordinē ponuntur,

in quo ablativi producta ultima iam nemini mira videri potest propter Corsseni Ausspr. I 332 sq., id,

quod ante ipsam caesuram est, *Penatium* aut per trisyllabum appellatum aut in *Penatum* contractum vult, ut ne elisione quidem caesura turbetur. Ego vero, donec alia exempla accedant, quae rem aut confirment aut subvertant, nihil mutandum existimo. Nam in elidendo ultima praecedentis vocis vocalis non cum insequenti tamquam coniuncta habenda est, sed, cum ante aliam vocalem brevi brevior fiat, ut ne moram quidem expleat, utraque vox dicendo distinguitur. Atque, ut caesuram mobilem missam faciam, in qua quam facile elisio fiat, satis constat, etiam longorum versuum, quorum caesura neque citro neque ultro movetur, natura et condicio ab hoc elisionis genere quam non abhorreat, multa et varia exempla docere possunt. Sloci quidem Indici exemplum erit e Sinhaparâkrami vita, quae in Kathâsaritsâgaro est:

Tatrârpitexańo draxyâsy antahpratimatâm iva,

quo in versu si non elisio, at certe synizesis est. Quanquam eiusdem metri hemistichia hiatu saepissime dividuntur, ut in hoc exemplo:

Yo dhruvâńi parityajya—adhruvâńi niśevate,
Dhruvâńi tasya naçyanti,—adhruvam naśt'am eva ca.

Praeterea vide Boehtlingkii Chrestomathiam, p. 445. Francogallorum versus Alexandrini exemplum Athaliae Racinianae initium suppeditabit:

Oui, je viens dans son templ*e* adorer l'Eternel,
Je viens selon l'usag*e* antique et solennel.

Sed hiatus non magis in caesura, quam in ceteris versus partibus in nova saltem eorum poesi admittitur. Neque haec nostra opinio quicquam impedit, quin Momm-

senius in Historiae Romanae I, 148 vere coniecerit, carmina Saturnia a binis cantari solita esse, quorum alter alterum hemistichium pronuntiaret. Apud Plautum enim et Terentium quam saepe in personarum mutatione, etiam si caesura accesserit, vocales coniungantur, in quavis eorum pagina videre licet, quanquam hiatus exempla iisdem condicionibus frequentissima sunt. Quae vide in Spengelii libro de T. Maccio Plauto p. 201 sq. Quod idem in Francogallorum carminibus scaenicis tam non raro invenitur, ut unum exemplum sufficiat, quod e Britannici Raciniani scaena prima petivi. Interrogat Albina, Agrippina respondet hoc modo:

Vous leur appui, madam*e*? Arrête, chère Albine.

Neque unquam aliter. In Hispanorum autem et Italorum poesi, cum eorum versus scaenici plerumque breviores sint, quam qui caesura immobili dissecentur, easdem condiciones difficilius quidem est una reperire, sed sine eiusmodi caesura hoc elidendi genus tam non rarum est, ut vel in pluribus versibus deinceps positis inveniatur, ut in Lopii de Vega Estrella de Sevilla jorn. III, quo loco personae quater mutantur:

Ya n*o* hay part*e*. Amor *e*s parte.
Es ofenderm*e*. Es amarte.

Aliud est, sine quo versus longus non plane horridus, qualem versum Saturnium esse apparet, nusquam reperitur, ut hemistichia constanti aliqua ratione inter se aut similia sint aut differant. Atque id vario modo fieri videmus. In Sloco enim Indico alterum hemistichium diambo concluditur, versus politici Graeci dimidia et ictuum numerum continent diversum et exitu differunt,

in Scandinavorum et antiquissimis Germanorum versibus singula plurave verba utriusque hemistichii ab eadem litera incipiunt, in Nibelungiade vero aliisque eiusdem fere aetatis aut posterioris et Anglorum poematis ictuum numerus non idem est accedentibus etiam homoteleutis, in Slavorum trimetris duplicibus et alibi disticha homoteleutis distinentur. Nam homoteleuta non iungunt, sed dividunt, cum versum absolutum esse significent. Quare, simul atque versus duplicis memoria abolevit, ut duo versus esse videantur, tum demum homoteleuta in caesuram irrumpunt et fit interdum, ut inter se permisceantur, id quod in hymnis Christianorum haud rarum est. Ita ruptus est iambicus septenarius in hoc hymno:

Quousque tu me negligis Extrema iam timentem?
Quousque tu me despicis Vultus tuos petentem?

Romanorum autem trimeter duplex, quem dixerunt Saturnium, cum in priscis carminibus anacrusis vel addita esset vel non addita, nescio quando ita constitutus est, ut priori hemistichio anacrusis accederet, posteriori non item. Hoc et exempla ostendunt et Terentianus docet et ratio persuadet. Est sane Livii versiculus, qui in Prisciani codicibus fere sic legitur:

Nexebant mult*a* inter se flexu nodorum dubio.

Sed mihi videtur legendum esse *flexue* ultima producta, ut in eo, quod supra est, *ordinē ponuntur*, quo facto vox *dubio* in sequentem versum transibit. Sed etiam alia sunt eiusmodi fragmenta, quae propter alias corruptelas, quibus foedata sunt, nunc quidem silentio praeteribimus. Quae etiam si plura essent et emendatiora, quam sunt, tamen dubitari non posset, quin Te-

rentiani schema ad anacrusim bene se haberet. Qua enim re versus duplex Saturnius a duobus versibus trimetris differret, si hemistichia aut inter se similia essent aut in alio versu aliter discreparent? In aliorum quidem populorum versibus hemistichia differunt saltem extrema, sed in versu Saturnio ne hoc quidem discriminis est, quippe quem thesi monosyllaba concludi omnia monumenta ostendant. Cuiusmodi autem versus sint, qui huic legi adversentur, suo loco videbimus. Sed etsi melius se haberent emendatuque difficiliores essent, tamen prae legitimorum versuum multitudine fieri non posset, quin suspecti viderentur. Nam omnes fere populi suam quisque versuum concludendorum rationem habent, qua etsi non usquequaque, at certe longe saepissime quisque utitur, quod genus Russorum est dactylus, trochaeus Scandinavorum et Hebraeorum, Indorum iambus saltem in Sloco: quam ita quisque adamavit, ut vel praeter verborum naturam et prosodiam teneat. Apud nostrates quidem versus populares frequentissime exeunt sic:

Стоитъ тутъ Костя, не шевéльнется.
По колѣна ноги въ чистомъ сéребрѣ.
Она ýзрѣла и усмóтрѣла.

Est, ut voces trochaicae encliticae fiant, ut in hoc notissimo:

Ужь какъ палъ туманъ на синé море,
А злодѣй тоска въ ретивó сердце.

At in pedestri quidem sermone dicimus шевельнéтся, серебрó, усмотрѣ́ла, сине мóре, ретиво сéрдце. Hoc idem ut assequatur, plebs nostra declinationes antiquas et insolitas revocat, quod genus sunt haec:

По крутымъ горамъ по высóкіимъ.
По степямъ, полямъ зелёнымъ.

Scandinavi autem, ut in trochaeum versus exiret, secundarium ultimi vocabuli accentum deprimebant ad hunc modum:

Era nû vaénligt,

cum dicendum esset *vaénlìgt*, supervacaneam autem vocalem eiciebant, ut pro eo, quod est *malvinar*, in versu dicerent

Mîns málvin*ar*.

Hebraeos in pausa, quam versus exitum nescio an recte interpreter, accentum retrahere solitos esse, ut dicerent *jiqtólu* pro *jiqtelú*, *léchi* pro *lechí*, *áni* pro *aní*, didici e Meieri libro, qui inscriptus est ,,Die poetische National-literatur der Hebräer" (Leipzig 1856), p. 68. Quem versus exitum etiam Romanorum proprium fuisse et pauci fratrum Arvalium quos vidimus versus et ipsius linguae Latinae natura declarant. Nam cum iambus, quo versus concluderetur, purus esse deberet, in tanta productarum vocalium multitudine multo facilius erat trochaeo versum claudere, cuius thesis vel produci poterat, quae autem praecedebat, vel item produci vel, ut in hoc horrido versus genere fere fit, prorsus eici. Verum ubi primum ex illis primitivis, ut ita dicam, numeris versus prodiit cultior et politior, quod antea plerumque observabatur, iam lex fit, quae nunquam neglegitur, ut versus extremus ad certam aliquam regulam conformetur. Itaque Graecorum versum politicum nullum inveneris, qui aliter atque trochaeo claudatur, neque Slocum Indicum, qui non iambo. Et cum Scandinavorum versus trimetri modo in arsim, modo in thesim cadant, Drôtt-

vaedhi, quae eundem fere ordinem ac locum obtinet atque Saturnius, semper trochaeo clauditur. Quam ob rem hoc statuere possumus, versus Saturnii exempla, quae ad nos pervenerint, non casu, sed e certa lege longe plurima in trochaeum cadere et id quidem, ut in Drôttkvaedhi, utrumque dimidium. Restat, ut pauca dicam de versibus, quorum alterum utrum dimidium in dactylum cadere videtur. Quod genus sunt haec hemistichia, quae a Pfavio probantur p. 63:

Célsos ócris árvaque.
I'nferus án superús tibi,

et alia multa, quae in eius libro inveniuntur, alibi nusquam. Verum tamen qui, quaeso, in versu vel iambico vel trochaico extremo dactylus a cretico, id est trimeter a tetrametro dignosci possit? Neque enim quicquam impedit, quin in posteriore dactyli thesi ictum ponamus, ut superiora illa exempla Pfaviana legantur sic:

Célsos ócris árvaqué.
I'nferus án superús tibí.

Quid enim? Nempe thesis, quae huic novae arsi praecedit, brevis est. Huc accedit, quod dactylus aliter oriri non poterat atque ultima thesi soluta. Sed ultimam ancipitem neque arsim neque thesim solvi posse, non dubito, quin sciat is, qui artis metricae compendium in gymnasiorum usum scripserit. Nihil igitur agunt, quicunque versum Saturnium aut posterius eius dimidium — nam de priore post viderimus — aliter atque trochaeo volunt conclusum.

Quae cum de universa versus Saturnii figura satis stabilita esse videantur, iam ad singula pergamus. Ac primum quidem in omnibus, quae supra leguntur, exemplis

quartam eius thesim — nam anacrusis rationem non habemus — vel primam alterius hemistichii corripi animadvertere licet, idque in omnibus fere eius versus reliquiis videbimus. Cuius rei cum causam quaererem, haec mihi una maxime probabilis visa est, ne, cum a prioris hemistichii iambis ad alterius trochaeos transiretur, eodem atque antea fuisset numero legentes praeter voluntatem pergerent ac potius statim ab initio plana esset scansio. Excipiuntur sane pauca, quorum nullum exemplum inscriptiones suppeditant praeter unum satis obscurum, e poematum autem fragmentis hoc Livianum videtur esse certum:

Ibidemquē vir summus   adprĭmus Patroclus

vel, ut nunc plerique malunt, *Patricoles*. Deinde traditi sunt a Servio Vergilii interprete duo versiculi Naeviani, quorum prioris dimidia pars restat, hoc modo:

amborum uxores
Noctu Troiad exibant   căpĭtibūs opertis.

Quorum alter regulae non adversatur, quoniam tribrachus e trochaeo ortus est, neque *captibus*, ut alii volunt, per trisyllabum dicatur necesse est. Alterius autem versus particula, sive coniunguntur vocales sive hiatu distrahuntur, ut in primam et in ultimam prioris vocis syllabam ictus cadat, tamen thesim productam non amittet. Sed cum versum non integrum habeamus, dicere non possumus, benene a Servio, quem memoria non optima fuisse Lachmannus in commentario Lucretiano saepe deprehendit, nobis proditus sit. In alio Naeviano, qui ita se habet

Docte et blande percontat,   Aeneas quo pacto,

Aeneas si, ut solet, media producta legatur, versus non labascet. Sed nulla causa est, cur poetarum dactylicorum appellandi rationem, quae e metri natura pendeat, potius quam Pindarum, qui dixerit Αἰνέας Olymp. 6, 88 (150), in versu trochaico sequamur. Immo vero Αἰνέας pedestris orationis forma esse videtur, ut Μελέας, Μεγαλέας, Ὀρσέας, atque legitur apud Thucydidem IV, 119 et in non nullis editionibus Xenophontis Anab. IV, 7, 13 et Hellen. VII, 3, 1, iambus autem et trochaeus multo propiores sunt ad communis vitae usum, quam dactylus. Sed haec hactenus: iam unde profecti sumus, redeamus. Nempe dixi in inscriptionibus nullum fere thesis hoc loco productae exemplum inveniri, idque tam grave esse existimo, ut quocunque in versu huiusmodi licentia inesse videatur, eum diligentissime examinandum esse arbitrer. Nam in eo, quod in Scipionis Barbati elogio legitur,

Gnaivod patrē prognatus   fortis vir sapiensque,

s littera, ut in omni prisca Romanorum poesi, cum extra ictum sit, positionem non facit. Quid quod in ipsis Scipionum elogiis pedestri oratione scriptum exstat *L. Cornelio. L. f. Scipio?* In quo *Cornelio* pro eo esse, quod est *Cornelios* vel *Cornelius*, nominativus *Scipio* significat. Male igitur fecerunt, qui in L. Cornelii Gn. f. Scipionis elogio locum extritum ita restituerunt:

Annos gnatus vigintei   is (diteist) mandatus

quique supplerunt *tereis*, *leto*, *laudist* et, ut omne genus coniecturas hoc loco attingam, qui *lausibus*, *laureis*, quae ideo male se habent, quod versus duplicis natura neglecta monosyllabum, quod ad posterius dimidium perti-

net, in prius transfertur. Verum vidit vir singularis ingenii et hoc in genere, ut in aliis, doctissimus, Theodorum Mommsenum dico, qui versum usitatissima quadam inscriptionum sepulcralium formula ita restituit, ut nihil accedere possit. Sic enim scripsit:

Annos gnatus vigintei　　is (loccis) mandatus.

Sed quanquam in inscriptionibus nullum hüius thesis productae exemplum inveniri diximus, tamen similitudines quaedam et quasi vestigia atque Livii quod vidimus exemplum eiusmodi versus fuisse si non persuadent, at certe efficiunt, ut suspicemur. Hoc vero certum est, thesim hoc loco, etiamsi producatur, productam solvi non posse, ne versus licentia turbatus, alia licentia cum accesserit, prorsus obscuretur. Idque omnino in Saturnio versu observatum animadvertimus, ut, siqua licentia admissa esset, omnes syllabae, quae huic loco adhaererent, nedum pertinerent, diligentissime expolirentur. Invenitur quidem Naevii versiculus talis:

Sic Poeni contremiscunt　　artŭbŭs universim,

sed a Merula traditus, cuius quam lubrica esset fides, supra dictum est. Quanquam si verus est, quod magis credo, levissima emendatione, quae nobis quidem facilis est, Merulae non item, ita restituitur, ut legem nostram potius confirmare videatur. Scribendum est enim, si operae pretium est,

Sic Poeni contremiscunt　　artubūs unorsim,

ut apud Lucretium *unorsum* IV, 262, ubi vide quae adnotavit Lachmannus, vel, si mavis, *oinvorsim*, ut in Senatus consulto de Bacchanalibus *oinvorsei* scriptum est pro eo, quod est *universi*. *Bus* autem terminationem antiquitus

productam fuisse aeque atque alia eius forma, quae est *bis*, semper produceretur, ex eius origine apparet, de qua vide Schleicheri Compendium p. 475 et Corsseni Ausspr. I p. 212. Quare non recte Spengelius fragmentum quoddam Livianum, quod idem ille Servius nescio an e memoria adscripserit, ita distribuit p. 106:

ĭgĭtur dem*um* Ulixi

Cor frixit prae pavore.

Neque melius se habet versus, qui est in L. Cornelii Gn. f. Scipionis elogio, cuius lacuna sic a plerisque resarcitur:

Ne quairatīs honore,   quei mĭnŭs sit ma(ndatus).

Ubi *tis* terminatio utrum per arsim an natura longa sit, nescio, quanquam eam produci video, illud vero *mandatus* quin non rectum sit, ego non dubito, idque eo magis, quod cum eius structura, sive *quei* ablativus sive nominativus est, tum sane inepta duobus in versibus deinceps positis repetitio — nam qui praecedit, idem est, quem a Mommseno emendatum esse vidimus — nescio quomodo legentis animum ita afficiunt, ut etiam si metri prorsus ignarus sit, tamen hunc locum tanquam oculis suis parum fidens iterum atque iterum relegat. Atque Lachmannus ad Lucr. IV, 602 et Weilius Benloewiusque libri, qui est de accentibus linguae Latinae, p. 104, et fortasse alii, quos non novi, ubi ceteri *mandatus*, scribunt *mactus*. Quod verbum, quanquam praeter vocativum *macte* et plurativam eius formam *macti*, quam Madvicus negat latinam esse, apud aureae quae dicitur aetatis scriptores non invenitur, tamen apud antiquos per omnes casus in usu fuisse existimandum est, et quod

apud Catonem R. R. 132, 2 legitur *macte vino inferio esto*, id apud Arnobium VII 296 ita scriptum est: *mactus hoc vino inferio esto*, atque in eodem Catonis libro paullo post 134, 3 de Jove dictum est *mactus hoc fercto*, id est honoratus. Praeterea *mactus* dicitur idem, quod vulneratus, ut apud Lucretium V, 1339 *boves lucae ferro male mactae*. Sed vel hoc ipsum *mactare* sine eo, quod est *mactus*, fieri non poterat: factum est enim, ut a *dicto dictare*, a *iacto iactare*, a *tracto tractare*. Est autem *mactus* participium perfecti passivi et a radice *mag*, quae idem est, quod sanscritum *mah* crescere, et a radice *mac*, unde facta sunt graeca μάχομαι, μάχαιρα, nostrum *мечъ*, latina *macellum* et *macere*, quod in Liviano quodam fragmento inesse Ursinus ingeniose suspicatus est. Sed quoniam multa participiorum exempla, ut slavica *убитъ* et *убіенъ*, germanica *gemelkt* et *gemolken*, anglica *helpt* et *holpen*, utramque terminationem et *to* et *no* idem significare docent, sequitur, ut *mactus* fere idem sit atque *magnus*, sed, ut exempla demonstrant, participii significatione melius conservata. *Mactus* igitur *honore* est honore auctus, augere autem aliquem honore Romani saepissime dixerunt, ut Graeci τιμῇ τινα ὀφέλλειν, qua significatione Cicero de rep. I, 43 dixit etiam *mactare honoribus*, ut verteret Platonis τιμᾶν, quod est in Polit. VIII, 562 D. Itaque, cum in inscriptionibus propemodum nullum sit secundae thesis productae exemplum, apud poetas autem nescio an unum, quicunque versus nullam habet syllabam correptam, corruptelae suspitionem vix potest effugere.

Restat, ut licentiae genus commemoremus, quod in ceteris metris et Graecis et Romanis satis saepe usurpatur. Dico correptarum productionem in arsi ad-

missam, quam fieri non potest quin in his Naevianis agnoscamus:

Deindē pollens sagittis inclutŭs arcutenens,
Sanctus Delphis prognatus Pythiŭs Apollo.

Illud autem *deinde* nescio an non in eundem censum veniat, sed natura productam ultimam habeat. Alii hanc codicum scripturam mutant in *dein*, quod plerique nunc impugnant, quod id temporis monosyllabum fuerit. Quanquam, cum ex praepositione *de* et pronominis *is* casu locativo compositum sit, per duas syllabas aliquando appellatum fuerit necesse est. In altero autem versu cum cetera Apollinis epitheta sine coniunctionibus cumulata essent, tum propter metri rationem *que* particula, quae in libris post vocem *sanctus* legitur, optimo iure a Vahleno eiecta est. Praeterea, donec terminationem secundae personae pluralis *tis* aliquis productam vocalem habuisse demonstraverit, in eiusdem licentiae exemplis numerandus est hic versus, de quo sarciendo supra disputavimus:

Ne quairatĭs honore, quei minus sit mactus.

Quodsi cui minus probata sunt, quae Corssenus Ausspr. I, 338 de imperativi producta ultima disputaverat, utatur hoc producendi genere in Odissiae Livianae exordio, quod ita se habere vidimus:

Virum mihī, Camena, insecĕ vorsutum.

Sed ego cum Corsseno sentire malo, quoniam dubitandi locus est, num vocalis sine consona per arsim produci possit. Illa autem superiora non magis miranda sunt, quam hoc Vergilianum Georg. III, 189:

Invalidūs etiamque tremens, etiam inscius aevi,

qua in re Vergilio Ennius praeiit, qui dixit:

Sic exspectabat populūs atque ora tenebat.

Illud *quairatīs* confer cum eiusdem Vergilii Aen. XI, 110:

Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
Oratīs? equidem et vivis concedere vellem.

Sed in his omnibus exemplis brevem produci in secunda arsi vel prioris vel posterioris dimidii animadvertimus. Nimirum si quos adhuc vidimus versus perlustramus, praeter unum Merulae nullum reperimus, quin verba his in arsibus terminentur, ut in hoc, cuius singulae voces in diaeresibus et caesura desinunt,

Cornelius Lucius Scipio Barbatus.

Quae diaereses ut casu fiant, tantum abest, ut non ita pauci inveniantur versus, qui, si alio ordine, quo diaereses non constent, digesti sint, rectius se habere videantur. Exempla ea sumamus, quibus iam variis locis usi sumus. Ac primum quidem in Scipionum elogiis, ut honorum Romanorum ordo observaretur, scribendum erat:

Aidilis consol censor,

id quod scriptum est prosa oratione in elogio L. Cornelii L. f. Scipionis. In Saturnio autem versu idem transpositum est sic:

Consol censor aidilis,

ut in secunda arsi diaeresis fieret. In eis, quae sunt

Subigit omne Loucanam opsidesque abdoucit.
Annos gnatus vigintei is loceis mandatus,

hiatus, qui in caesura est, vitari poterat transponendo, ut esset:

Omne Loucanam subigit   opsidesque abdoucit.
Vigintei gnatus annos   is loceis mandatus.

In eo autem, quod est

Quoiei vitā defecit,   non honos honore,

terminatio producta, quae, cum paullo post praeter paucissima, quae attulimus, exempla corripi soleret, iam tum videtur non ita certae fuisse longitudinis. Haec, inquam, omnia tolli poterant, sed, ne arses perirent, relicta sunt. Tolli poterat etiam illud *quairatis* ultima producta, sed si transposueris, ut sit

Honore ne quairatis,   quei minus sit mactus,

diaeresim aut corrumpes aut pessum dabis, quoniam *ne* particula non apte ab imperativo divellitur. Eandem ob causam Naevius dixit:

Sicilienses paciscit   opsides ut reddant,

non ita:

Paciscit, Sicilienses   opsides ut reddant,

qui verborum ordo usitatus est, et Livius

Sanctā puer Saturni   filiā regina,

non

Puer Saturni sancta,

quanquam sic longitudinem illa aetate minus usitatam semel vitare poterat. Quid ea commemorem, quae transpositionem neque requirere videntur neque respuunt? Quodsi illa transpositionis exempla ad prius

hemistichium referuntur, in posteriore diaeresis non minus requiritur, sed, cum prima thesis corripiatur, voces multo difficilius transponuntur. Immo vero in posteriore diaeresis multo magis observatur frequentioraque sunt productionis et, quod suo loco videbimus, hiatus exempla. Quam ob rem optimus est Metellorum qui fertur versus

Malum dabunt Metelli   Naevio poetae

et quos Atilius Fortunatianus e tabulis triumphalibus sumptos esse dicit,

Summas opes qui regum   regias refregit.
Duello magno dirimundo   regibus subigundis.
Fundit fugat prosternit   maximas legiones.

Contra prope nullus est versus, quem Marius Victorinus ipse videtur exempli causa finxisse,

Cum victor Lemno classem   Doricam appulisset.

Quae excipiuntur, in priore hemistichio haec sunt, de quibus quidem dubitari nequit. In L. Scipionis Barbati filii elogio:

Lucĭom Scipionem   filios Barbati,

quod excusationem habet nominis proprii. Apud Naevium:

Urit populatur vastat,   r*em* hostium concinnat.

Tum eiusdem versus, sed a Merula traditus:

Sic Poeni contremiscunt   artubŭs unorsim.

Posterius hemistichium diaeresi caret in Caecilii elogio:

Hospes, gratum *e*st, qu*om* apud meas   restitistei seedes,

ubi *meas* monosyllabum est, ut apud scaenicos sexcentiens. In ultimo Scipionum elogio poetico, quod versibus elegiacis conceptum est, scriptum est *mieis* pro eo, quod est *meis*, ut per monosyllabum legendum esse significaretur, in hoc versu:

Virtutes generis mieis moribus accumulavi.

Apud Livium Andronicum diaeresi caret hic:

Quando dies adveniet, quem profata Mortast.

Utraque autem diaeresi unus caret, qui est in Mummii tabula:

Duct*u* auspici*o* imperioque eius Achaia capta,

ubi *eius* monosyllabum est, ut in hoc Naeviano:

Iamqu*e* eius mentem fortuna fecerat quietem.

Vide etiam Lachmannum ad Lucr. I, 149. Nam si per disyllabum dicatur, in primo pede dactylus erit, id quod nunquam fieri supra demonstratum est.

Elisionem autem non impedire, ne diaeresis audiatur, cum in caesura quoque idem licere probabile factum sit, per se intellegitur. Coniungendae sunt igitur vocales in priore hemistichio huius versus Liviani:

Nexebant mult*a* inter se flexuē nodorum,

et Naeviani huius:

Manusque surs*um* ad caelum sustulit suas rex.

In posteriore dimidio horum versuum, qui in Scipionum sepulcris incisi sunt:

Subigīt omne Loucanam opsidesqu*e* abdoucit.
Honos famā virtusque, glori*a* atqu*e* ingenium.

Itaque Terentiani schema praeter diaereses non usquequaque observatas cum antiquissimis versus Saturnii exemplis omnibus in rebus convenire vidimus. Sed tamen sunt versus, quorum alterum dimidium syllaba brevius sit, quam esse soleat, quae si interiecta esset, vel illius Metellorum versus elegantiam aequarent. Nam neque caesura aut diaereses desunt et prima posterioris hemistichii thesis correpta est et alterum hemistichium, vel prius vel posterius, legitimo constat syllabarum numero. Quales sunt hi versus, qui in Scipionum elogiis leguntur:

Taurasia Cisauna   Samnio cepit.
Mors perfecit, tu*a* ut essent omniā brevia.
Quare lubens t*e* in gremiu, Scipio, recipit.

Et apud Naevium:

Censent eo venturum   obviam Poenum.
Runcūs atquē Purpureus,   filii terras,

ubi ultima nominis *Runcus* syllaba videtur arsis vi producta esse. Eodem modo manca sunt priora hemistichia huius versus, qui in eodem sepulcro est:

Aetate quom parva   posidēt hoc saxsum,

et huius Naeviani:

Magnum stuprum populo   fīeri per gentis,

in quo *fieri* primam productam habet, ut saepe apud eiusdem aetatis poetas. Neque ita multis annis ante Hermannus, Grotefendus, alii, cum eiusmodi versus corruptos haberent, syllabas, quae desiderabantur, sane rudi arte adiciebant aut aliquo modo supplebant, ut legerent:

Taurasiam Cisaunam Samniom [que] cepit,

quo facto diaeresis amittitur, et

Quare lubens te in gremium, Scipio, recēpit.

Quae emendandi ratio quominus recipiatur, et exemplorum copia et inscriptionum fides impediunt. Quam ob rem Muellerus in supplemento, quod ad Festi editionem addidit, p. 397 omnes theses excepta ultima, maxime paenultimam supprimi posse coniecit, ut versus Saturnius non aliter atque Germanici veteres prope e solis arsibus constaret. Corsseno autem prima prioris hemistichii et ultima utriusque abici posse visae sunt, ut versu hinc et illinc resecto, quaecunque media essent, integra manerent. Quod si verum esset, eiusmodi versus iambice exire oporteret, ut

Taurasia Cisauna Sámnió cepít.

Sed iambum, quo versus clauderetur, nunquam in spondeum mutari posse ac purum servari recte animadvertit Spengelius p. 84, prima autem prioris hemistichii thesis, id est anacrusis, ne omitteretur, ad versum Saturnium quanti interesset, supra demonstratum est e versus duplicis natura. Sed de Muelleri doctrina et de Germanicorum versuum similitudine, qua ante hos tres annos Pfavius magnopere abusus est, paullo amplius disserendum videtur. Ac primum quidem satis constat, Germanorum veterum versus ita compositos esse, ut arses solae numerarentur, theses utrum essent necne, nihil referret. Quae cum ita sint, vel hic versus habendus est, qui in carmine de Hildebrando legitur, quanquam praeter arses nihil habet:

Prút in' bûrè, bárn únwàhsàn.

Sed hic accentus est, qui, cum cuiusque syllabae proprius sit, vel sine thesibus per se percipitur. Nulla

enim thesi adiuti, inter οὐκ ὀρθοτονούμενον et οὐκ ἄτονον quid intersit, facile distinguimus, atque etiam in ea lingua, qua Germani nunc utuntur, in eis, quae sint *Ángrìff*, *Míttwòch*, *Sónnàbend*, binos accentus inesse, nulla intercedente thesi usque adhuc satis dignoscimus. Ictum vero metricum, qui, cum nulli vocali per se inhaereat, e solo versus tenore certoque arsium et thesium ordine auribus percipiatur, nisi theses adsint, quibuscum assidue comparetur, qua tandem ratione distingui posse arbitramur? Denique, ut ad exemplum transeam, quomodo legi posset hic Pfavii versus — nam Livianus non est —, nisi ipse eius parens, qua est comitate, ictibus dispositis nos docuisset sic legendum esse:

Quáe haéc dáps est? quí féstús dies?

Neque tamen nego in versu Saturnio theses omitti posse. Nam cum in omnium populorum huiusmodi antiquissimis versibus duas arses deinceps positas invenimus, tum illi versus, qui supra adscripti sunt, legi non possunt, nisi thesim in medio versu deesse fateamur. Sed hoc dico, neque anacrusim propter ipsius Saturnii versus neque quamvis thesem propter versus metrici indolem omitti posse, quin metrum titubet atque adeo corruat. Itaque Ritschelius in singulis hemistichiis semel thesim omitti vidit, Spengelius nisi in secunda altrerutrius arsi idem fieri non posse addidit. Quae cum rectissime observata esse vel ex eis, quae supra posuimus, exemplis perspicuum sit, tamen ad doctrinam de thesibus in versu Saturnio omittendis plane et firme constituendam vereor ut per se sufficere videantur. Neque enim ita accentum Germanorum et ictum Graecorum et Romanorum inter se differre, ut

alter per se, alter, e rhythmo cognosceretur, dixisse satis est, sed hoc quoque oportet consideremus, accentu vel acuto vel gravi — nam circumflexus compositus est — unam moram affici, ictu autem metrico etiam duas vel tres, ut in genere ἡμιολίῳ, in quo producta et brevis sese excipientes sub ictu sunt. Sed cum de accentu Germanico agamus, gravi accentu amisso, quippe qui medius quidam sit inter acutum et syllabam ἄτονον, de acuto loquamur necesse est, cui etiam ille accentus, ut ita dicam, secundarius, qui iuxta primarium nunc quoque in compositis Germanorum vocabulis auditur, multo similior fuisse, quam Graecorum et Romanorum gravi existimandus est. Dicebant igitur Germani sine offensione *wêwùrt*, *dárbà*, *úrhèttùn*, ut in pluribus syllabis deinceps accineretur, scilicet quotienscunque prior syllaba vel natura vel positione producebatur: sin autem corripiebatur, nunquam aliter accinebant atque syllaba intercedente, ut *wŏroltì*, *fàterès*. Ex quo efficitur, ut Germanos nunquam in duabus moris deinceps accinuisse dicamus. Nam nisi in priore productae mora accentus positus esset, quominus dicerent *wŏrôlti*, *săgêda*, quid impediturum fuisse existimamus? Mora igitur vel, cum in Germanorum sermone nihil sit quod producta ipsarum duarum correptarum spatium aequasse videatur, intervallum quoddam quamvis breve duos accentus, qui ictus metrici munere fungebantur, etiam apud Germanos inter se separabat Quod cum ita sit, versuum Germanicorum similitudo non suadet, sed prohibet, ne in versu Saturnio praeter duarum vocum intervallum thesim omitti posse opinemur, ut Ritschelium sequentes ultimum epigrammatis Sorani versum ita legamus:

Semol *te* orant se voti crébró condemnes,

aut, si Mommseni et Spengelii scansio magis placet, ita:

Semol *te* orant se voti crebro cóndémnes.

Ictus enim utramque productae moram amplectitur, ut legendum sit *crebro*, *condemnes* sine ullo intervallo, quod in Germanorum sermone interici demonstravimus.

Sin autem causam quaerimus, cur in Germanorum vocibus bis accinatur, ea non tam in aurium arbitrio, quam in sensu ac significatione posita est. Nam cum omnes fere voces e radice et e variis, ut nunc dicunt, praefixis, suffixis, terminationibus compositas esse prae ceteris orbis terrarum populis memoria tenerent, cuique vocis parti, tanquam per se constaret, suum accentum tribuebant. Dicebant igitur *úrhèttùn* per triplicem accentum, ut significarent tres partes ibi inesse, quae sunt praepositio *ur*, radix *hēt*, terminatio *tun*. Atque primarius in primam plerumque cadebat, in ceteras secundarii, id quod vel nunc in compositis observatur. Neque aliter in duabus vocibus, quae ad unam notionem significandam non illae quidem coniunguntur, sed deinceps ponuntur, usque ad nostra tempora accini solet. Sic enim dicunt: *in Betrácht kòmmen*, *gebóten wùrde*, *státt hàben*, ut a compositis non multum differant. Quod cum ita sit, vel praeter illud intervallum ἄτονον inter duos accentus diaeresim quandam brevissimam audiri apparet. Et vero quis est, qui eam non agnoscat in nomine *Sífrit*, quem ad modum in hoc versu pronuntiandum est:

spräch dô Sífrit,

si hunc versum comparet:

Sífrit án din*e* hánt,

in quo idem unum accentum recipit? Quodsi consideramus, quomodo composita sonent, etiam hoc in genere ea a duabus vocibus prope non differre animadvertimus. Nihil enim interest ad sonum, utrum praepositio *ab* per se constet an cum eo, quod est ***Rede***, compositum sit, quanquam in voce ***Brauch***, cuius secunda litera eadem est, a qua vox ***Rede*** incipit, ***b*** litera in *p* non mutatur, neque eodem modo sonant eaedem literarum complexiones in eis, quae sunt ***Feíg–lìng*** et ***gleich***, ***Lób-lìed*** et ***Blei***, ***Bród-màrkt*** et ***widmen***, ***áb–nèhmen*** et ***Ebne***, ***bród–lòs*** et ***Adler***, ***án–gèben*** vel ***Krón–gùt*** et ***Mangel***, ***án–kaùfen*** et ***Enkel***, ***Kírchen-chòr*** et ***mancher***, in quibus *feig*, ***Lob***, ***Brod***, cetera eodem modo dicuntur, ac si sola sint, quanquam, quae insecuntur, consonantes alium sonum postulant. Quae cum tam laxe coniuncta sint, ut a simplicibus sono non differant, inter utramque vocem diaeresis quaedam sit, necesse est. Sed quoniam Germanorum accentus nunquam sine diaeresi sese excipere demonstravimus, quae tandem versuum Germanicorum similitudo hominibus doctis persuasit, ut in Romanorum versibus thesim sine ullo intervallo omitti censerent? Nam si Germanorum exemplo utimur, quorum versus prope nulla re a sermone quotidiano differebant, etiam in Romanorum sermone pedestri debemus aliquid indicare, quapropter thesi omissa duos ictus metricos concurrere arbitremur. Cum autem in Romanorum oratione pedestri neque arses neque theses fuerint, tota res quam fluxo nitatur fundamento, quis est, quin intellegat?

Huc accedit, quod in Germanorum versibus, cum certum accentuum numerum, non pedes habeant neque ex arsium et thesium differentia pendeant, siquando duo accentus concurrunt, thesim intercidisse putandum non est, in Romanorum autem versu Saturnio, cum certo temporis spatio nitatur, si inter duos ictus nulla sit interiecta syllaba, thesim esse omissam, id est voce et sermone non impletam, nemo est, quin videat. Sed sicubi syllaba nulla est, thesis autem nisi interponatur, et versus brevior sit, quam esse debeat, et quae arsis quaeve thesis habeatur, incertum sit, ibi aut silentio aut cantu intervallum implendum est, quod thesis omissae spatio par sit. In pentametro quidem dactylico et medio et extremo binae morae reticentur, ut hexametrum spatio aequet, in trochaico septenario extremo una, quam si syllaba expresseris, octonarius erit. Idcirco pentametri caesura vel nostris auribus multo melius percipitur, quam hexametri, in qua nihil omissum sit. Quoniam igitur sine vacuo intervallo, id est sine caesura aut sine diaeresi ne mora quidem reticeri potest, haud facile eiusmodi pentametrum inveneris, in quo verbum ex uno dimidio in alterum porrectum sit. Sic enim aut intervallum pessum datur aut verbum monstrose divellitur. Neque aliter de melicis Graecorum carminibus censere videtur Rossbachius I p. 87, cui nuper sine argumentis oblocutus est Bergkius in tertia poetarum lyricorum Graecorum editione p. IX. Quod cum in versu Saturnio idem fieri appareat, ut thesis reticenda sit, quomodo fieri posse existimamus, ut in mediis verbis intervallum audiatur, id est, ut verba diaeresi dissecentur ac distrahantur? Finge te ultimum epigrammatis Sorani versum legere sic:

Semol te orant se voti crebro con...

Eho, iam mane paullisper: thesis enim omissa est. Nunc perge, sis:

demnes.

Non me quidem fugit, in versu Saturnio, cum una, non duae morae reticendae sint, vel, ut artis rhythmicae doctorum vocabulis utar, λεῖμμα, non πρόσθεσις insit, non tam diu, quam in pentametro dactylico vocem redhibendam esse, sed satis longum intervallum, quod in medio verbo poni non possit, thesis loco supplendum esse, vel aliorum populorum carmina argumento sunt. Non modo enim in eis versibus, qui e vocalium longitudine, sed etiam in eis, qui ex accentu pendent, χρόνος κενὸς sive intervallum, quod thesis omissae locum obtinet, semper, quod sciam, longius est, quam quod medium verbum dividat. In nostratium quidem carminibus popularibus thesis sane omittitur, sed nunquam non inter duo verba. Exempla sumpsi e carminibus, quae a Kirscha Daniloff collecta esse dicuntur. Ac primum quidem e carmine Соловей Будиміровичъ:

Широкó раздóлье по всéй земли,
Глубокíи‿óмуты Днѣпрóвскіе.

Deinde e carmine Три года Добрынюшка стольничалъ:

Зайдéтъ‿въ ýлицу Игнáтьевску
И во тóтъ переýлокъ Марúнинъ.

Tum e carmine Добрыня Чудь покорилъ:

Очúщу дорóги прямоѣ́зжія
До твоегó‿тéстя любúмаго.

Denique e carmine Первая поѣздка Ильи Муромца въ Кіевъ:

> Посвисти́ соловéй по-соловьи́ному,
> Пошипи́‿змѣ́й по-змѣи́ному,
> Зря́вкай звѣ́рь по-тури́ному
> И потѣ́шь‿кня́зя Влади́міра.

Etiam in Anglorum carminibus, quoniam accentus, quo Saxonum versus eodem modo atque Germanorum nitebantur, post Normanorum victoriam debilior factus est, quam qui solus versum constitueret, thesis omittitur illa quidem, sed intervallum inter duo verba ponitur. Exempli gratia hos versus proponam, qui leguntur in Johannis Skeltoni carmine Colin Clout:

> And júdge it ás they wíll
> For óther mén's‿skíll,
> Expoúnding oút their claúses,
> And leáve their ówn‿caúses.

Deinde:

> 'Of the clérgy áll,
> Bóth‿greát and smáll.

Et paullo infra:

> Plúck awáy the leáds
> O'ver théir‿heáds.

Et iam paene nostra aetate Shelleius ausus est thesim omittere in carmine, quod in alaudam fecit. Nam inter versiculos iambicos et trochaicos ternarios talem posuit:

> Keén‿áre the árrows.

Quam ob rem etiam atque etiam monendum videtur, nequis in versu Saturnio thesim intra verbum intercidere posse existimet.

Quoniam autem in versu qui dicitur metrico, quales Graecorum et Romanorum fuerunt, et quidem in versu Saturnio, qui non ab omni parte secundum artis praecepta factus est, arsium et thesium discrimen e productarum et correptarum positura pendet, thesim, ne versus dubius fiat, certo aliquo loco intercidere putandum est. Nam singulas in alterutro hemistichio omitti, non plures et Ritschelius animadvertit et Pfavius suis versiculis invitus probavit. Et quidem post primam arsim id fieri posse propterea non probabile est, quod metrum inde ab initio prorsus incertum fieret. Nemo enim mortalis hunc versum Pfavii legerit, quem eius auctor p. 68 dicit sic legendum esse:

Púlcrámque ex aúro véstémque citrósam.

Neque ultima thesis omitti potest, quin alterutrum dimidium pro trochaeo in iambum neque eum purum exeat, id quod nunquam fieri supra demonstratum est. Restat igitur thesis media, id est, quae diaeresim sequitur, quo loco nullum esse aptiorem ad intervallum vacuum recipiendum per se intellegitur. Idque in exemplis nostris animadvertere licet. Deinde in omnibus versibus, qui ab omni suspitione liberi sunt, arsi, quae thesim insequentem deprimit, correpta thesis anteit, quasi ea arsi ordo metricus absolvatur. Neque solum in posteriore hemistichio, cuius prima thesis plerumque corripitur, id semper observari animadvertimus, verum etiam in priore, in quo thesis rarissime omittitur, hoc nunquam neglegi videtur. Nam in eo, quod est in L. Cornelii Gn. f. Scipionis elogio,

Aetate quom‿parva posidēt hoc saxsum,

quanquam *ordine*, *patre* ultima producta dicta esse vi-

dimus, ultimam vocis *aetate* produci nihil opus est, praesertim cum in hoc monumento idem casus, ubi nihil intersit, utrum producatur an corripiatur ultima, per *ei* scriptus sit. Sic enim legitur:

Is hic situs, quei nunquam   victus est virtutei.

Sunt tamen versus, qui ea, quae de thesibus omittendis statuere conati sumus, subvertere videantur. E quibus in praesenti eos eligemus, qui aliter atque thesi suppressa nullo pacto legi possunt. Eiusmodi est primus elogii Caeciliani versus:

Hoc est factum monumentum   Maarco Caicilio,

cuius in altero dimidio alii voci *Maarco*, alii *Caicilio* duos ictus tribuunt. Si *Maarco* per tres syllabas legi posset, versus non ille quidem elegans, tamen versus esset. Nunc vero alterum hemistichium plane ἄμετρον est. Nam non modo secunda thesis non corripitur, quod per se tolerabile est, sed neque diaeresis ulla est et thesis in alterutro verbo medio videtur intercidisse. Sed Henzenus in epistula ad Ritschelium privatim data — quem locum vide in Musaei Rhenani VIII p. 288 — hanc inscriptionem circa divi Augusti tempora restauratam esse suspicatur: nam literarum ductus potius illam aetatem referre, quam qua concepta esse videatur. Itaque, cum huius inscriptionis literae, siquidem restaurandae viderentur, iam paene delituissent, fieri poterat, ut, qui restauraret, tritissimum *Marci* nomen, quod per duas *a* scribi antiquitus solitum esse Ritschelius ostendit in libello de Miliario Popiliano p. 29, pro minus usitato *Maani* legeret. Sed etiam hoc suspicari possumus, in monumento, ante quam alteram manum vidisset, pro integro Manii nomine scriptum fuisse *M'*

cum apice, ut in L. Cornelii Gn. f. Scipionis elogio vox *viginti* numeri signo expressa est sic:

Annos gnatus XX   is loceis mandatus.

Cum vero apex, quo *Manii* compendium a *Marci* distingueretur, aut extritus aut ab eo, qui hanc inscriptionem ab excidio servaret, parum intellectus esset, omnibus literis, ut versum decet, Marci nomen expressum est. Quae cum ita sint, illum versum ita restituendum esse censeo:

Hoc est factum monumentum   Maanio Caicilio.

Eodem modo Valerius consul, cui Manio fuisse praenomen Polybius I, 16 auctor est, in Naevii quodam versu, quem Charisius servavit, Marcus appellatus est. Deinde statu deici videmur hoc versu, qui ultimus est inscriptionis Soranae:

Semol te orant, se voti   crebro condemnes,

cuius posterius hemistichium quibusnam modis ab hominibus doctis legi soleret, supra dictum est. Quorum si Ritschelium sequemur, thesis erit post primam arsim omissa, sin Spengelium, et diaeresis nulla erit et secunda thesis producetur, ne intervallum in medio verbo fieri commemorem. Quare potius Ritschelii ratio tenenda est, id quod ita fieri potest, ut ictus sine intervallo non concurrant. Nam cum a *ministro ministerium*, a *magistro magisterium* et *magisterare*, quod Spartianus in Hadriani vita cap. 10 *magistrare* dixit, factum sit, deinde a *capro* Naevius *caperatum* finxerit, porro cum a *crebro*, *celebri*, *salubri*, *taetro*, quorum genetivus sine vocali est, superlativus non *crebrissimus*, *celebrissimus* declinetur, sed *creberrimus*, *celeberrimus*, ut

a *vetere veterrimus*, a *celeri celerrimus*, a *misero miserrimus*, a *libero liberrimus*, a *nupero nuperrimus*, a *paupere pauperrimus*, *e* literam, quam in nominativo videmus, in ceteris casibus non item, interdum radicis partem esse, ut olim eici non potuerit, intellegere licet. Interdum autem servatur, ubi elidi poterat, ut in eo, quod est *liber*, cum solutum, Bacchum, puerum significat, in casibus obliquis *dexteri*, *asperi*, *Mulciberi*, quanquam etiam brevior eorum forma in usu erat, et in iis, quae sunt *extra*, *supra*, *infra*, antiqui vocalem non omittebant. Eorum, quae sunt *accipiter*, *Opiter*, *Maspiter*, *Diespiter*, et pleniorem et breviorem declinationem apud antiquos in usu fuisse Priscianus testis est VI, 39 Hertz. Quam facile tamen vel apud antiquissimos *e* correpta ante *r* literam delituerit, argumento sunt *dedrot* pro *dederunt*, *altrius* pro *alterius*, *opra* apud Ennium et Petrarcham Vita Son. 49, 9 et *opera* apud plerosque et eundem Petrarcham Vita Son. 50,3, et in eo, quod nunc dicitur *sgomberare*, idem poeta vocalem eiecit Vita Son. 50,5. In Francogallorum lingua quam saepe illud *e* prorsus evanescat, vide in Quicheratii libro, qui inscriptus est «Traité de versification française», p. 296 et 409 sqq. Sed antequam hoc *e*, quod est ante *r*, prorsus elidatur, sonus quidam brevissimus et subobscurus medium locum tenet, quod genus est Francogallorum *e* mutum, quod olim audiebatur in eis, quae sunt *esperit*, *verai*, *larrecin*, *derrenier*, *viverai*, *prenderai*, *averai*, *saverai*, aliis. Romani autem, cum eiusmodi literam non haberent, quotienscunque sonum illum paene delitescentem scribendo exprimi oportebat, aut vocali utebantur aut, cum nullam aptam reperirent literam, quod significare non pos-

sent, omnino praeteribant. Itaque in antiquissimo titulo Lucano, qui legitur apud Mommsenum I. R. N. 299, scriptum est *leibreis soveis*, quanquam in eo, quod est *liberi*, vocalis nunquam omittitur. Neque ea scribendi ratio, ut sonus, cum voce exprimendus sit, nulla tamen significetur litera, adeo rara est aut apud solos Romanos invenitur. Nam praeter illa *crebro*, *leibreis* frequentissima vocula *st*, qua silentium fieri iubetur, semper, quod sciam, ita appellatur, ut syllabam faciat, ut apud Plautum Most. II, 2,58 (489 Ritschelii, 475 Lorenzii):

> Quis homo? án meus gnatus? 'St, tace: auscultá modo.

Ibidem III, 2, 163 (850 R., 837 Lor.):

> 'St, canis, st, abi, ábi dierecte.—'Abin hinc in malám crucem?

quem versum alii aliter legunt, in Ambrosiano autem codice pro eo, quod est *st*, scriptum est *est*. Deinde Merc. 749:

> Abí. Quid abeam? 'St, abi.—Abeám?—Abi.

Denique apud Terentium Andr. IV, 1, 53 (682):

> Faciam. 'At iam hoc opus est. 'St, mane: crepuit hínc a Glycerio óstium.

Phorm. V, 1, 15 (743):

> Quem sémper te esse díctitasti. 'St. Quid has metuís foris?

Sonum igitur quendam vocalem hic inesse apparet, cuius locum inter utramque consonam fuisse existimo propter Italicum *zitto*, Hispanicum *chito*, Francogal-

licum *chut*. Serbi autem et Bohemi pro antiquis vocalibus *ъ* et *ь*, quas ante *r* et *l* non plane amiserunt, etiam nunc nihil ponunt, ut in his *prvný*, *plný*, *vlna*, *prst*, *hrdlo*, *крстъ*, *трнъ*, *црнъ*, similibus. Sed etiam praeter *r* et *l* in carmine Bohemico de Oldericho et Boleslavo *ь* litera, cum non scripta sit, tamen voce exprimenda esse significatur hoc versu:

Hrnuše sie zaniem osm wladik,

et in hoc carminis de Iaroslavo:

Nevzmožno pro žižň voievati,

in quibus, ut in pentametris trochaicis, verba *osm* et *žižň* per binas syllabas appellanda esse perspicuum est. Quid quod etiam Angli inter consonam et *l* sonum, qui vocalis fuit, nunc scribendo non exprimunt? Itaque *flebilis*, *luttil*, *purpureus*, *gentilis* scribuntur illa quidem sine vocali, sed eam audiri ostendunt hi versus, qui in Byronii carmine Child Harold leguntur:

Where, save that feeble fountain, all is still.
Nor deem'd before his little day was done.
Throughout this purple land, where law secures not life.
Swept into wrecks anon by Time's ungentle tide.

Atque etiam sub ictu, ut in eiusdem Bride of Abydos:

Invisible his airy wings.
Will shape and syllable its sound.

Quae cum ita sint, versus, de quo agimus, ita legendus videtur:

Semol t*e* orant, se voti crebero condemnes,

in quo *e* literam, quam interposuimus, non aliter so-

nare memento, atque in antiquo Francogallico *esperit*, ut vix digna sit, quae vocalis dicatur. Contra in eo versu, qui huic anteit, donec Spengelius ***Hercōlei*** media producta aliquando dictum esse melioribus, quam quibus usus est p. 92, argumentis demonstret, aut aliquis nominativum *Hercolees*, ut Graece Ἡρακλέης reperiat, Ritschelium sequi praestat ita, ut, quod scriptum sit, voce non exprimatur. Legendum est igitur in praesenti:

Donu danunt‿Herc*o*lei maxsume‿mereto,

ubi Herculis nomen eodem fere modo appellandum est atque interiectio *hercle*. Quod si ita est, in hoc versu solo duae theses interciderunt, sed cum et locus et modus legitimus observatus sit, nihil est, quod dubitemus, num bene se habeat. Huc accedit, quod, quo diaereses, quas post secundam arsim plerumque fieri diximus, diligentius et constantius observantur, eo facilius quae eas secuntur theses intercidunt, ex quo colligitur, etiam contra fieri solere. Sane in longioribus monumentis, qualia sunt Livii et Naevii poemata, neque hanc neque illam rationem obstinatius teneri posse intellegitur, sed in brevioribus, quales sunt inscriptiones, aut hoc aut illud satis constanter custoditur. Itaque in Caecilii elogio et in Mummii tabula, in quibus diaereses non usquequaque inveniuntur, nullam thesim omissam esse animadvertimus. At in epigrammate Sorano, quod ne Scipionum quidem elogia diaeresibus superant, etiam si in pluribus hemistichiis singulae theses deessent, tamen nihil esset, quod nimis miraremur.

Nullus igitur versiculus in aere aut in lapide inci-

sus thesim in medio verbo intercidere confirmat. Liviani autem et Naeviani hi sunt fere digni, de quibus agatur. Ac primum quidem in Naevii versu:

Magnamque domum decoremque ditem vexarant,

quo Priscianus usus est, ne vox *decor* testimonio destitueretur, sine ullo significationis damno pro contracta forma *ditem* plena *divitem* reponitur. Quo facto nihil opus est voci *vexarant* duos ictus tribui. Aliud Naevianum a Nonio servatum est sub voce *castus*:

Res divas edicit, praedicit castus.

Quod cum productas solas contineat, possumus suspicari haec verba, non versus Naevii esse. Ut versus restituatur, nescio an *castitus* scribendum sit: nam et *castus* et *castitus* hoc loco e Varronis scriptis laudantur. Praeterea, si operae pretium est, *et* particula addi potest sic:

res divas
Edicit et praedicit castitus.

Eiusdem poetae a Servio proditus est versus:

Eorum sectam secuntur multi mortales.

Eorum cum per synizesim legi possit, ut *meas* in Caecilii elogio, *eorundem* Ennii, qui versus est in Ciceronis de off. I, 12, *eosdem* apud Propertium IV, 7, 7 sq., prius hemistichium optime se habet, alterum autem ἄμετρον est. Sed cum Naevii scripta Servio in manibus non fuisse veri simile sit, vereor, ne e memoria hunc versum adscripserit idque non admodum religiose, quo rem, non verba illustraret. Itaque fieri potest, ut apud Naevium scriptum fuerit:

Eorum sectam secuntur plurimi mortales.

Eiusdem Naevii versus laudatur a Prisciano:

Ei venīt in mentem hominum fortunas,

qui a plerisque ita legitur, ut vocis *fortunas* prima et secunda syllaba ictus recipiant. Sed, ne thesis in medio verbo omissae mentionem faciam, cum prima posterioris hemistichii thesis non modo non correpta sit, sed etiam cum arsi anapaestum efficiat, hunc versum vel sic male legi affirmare ausim. Qui ut bene se habeat, prima vocis *hominum* producatur necesse est. Atque, si adiectivi *humanus*, cuius primam produci satis constat, rationem habebimus, fieri non potest, quin eos sequamur, quibus latinum *homo* cum indico vetere *bhûman* placet contendere. Itaque antiquissimis temporibus dictum esse videtur *humo* prima producta, quo nescio an referendum sit illud *semuneis*, quod est in carmine Arvali, pro *semihumineis*, deinde *homo* prima item producta, post correpta, ut fere fit in disyllabis. Quod si ita est, optime digeritur hoc Naevianum:

silvicolae hōmines duellique
Inertes,

ubi *duelli* disyllabum est, ut saepe apud antiquissimos. Quanquam non nego eadem etiam sic digeri posse:

silvicolae
Homines duellique inertes,

quo facto *homines* prima correpta dicendum erit, ut semper. Eadem antiqua mensura probum reddit hunc Merulae versum:

Qui terrai Latiai hōmines tuserunt.

Deinde traditi sunt tres versus, in quibus thesis legitimo illa quidem loco, sed post praeverbium excidit, quod idem fere esse videtur, ac si in medio verbo omissa sit. Quorum hic est Livianus:

Simul duonā eorum   portant ad naves,

hi Naeviani:

Onerariae onustae   stabant in flustris.
Flentes ambae, abeuntes   lacrumis cum multis.

Et priora quidem eorum hemistichia hiatum habent in diaeresi, quod quam non raro fiat, statim videbimus, in posterioribus autem non modo singulae theses omissae videntur post praeverbia, quanquam haec tam arte cum nominibus coniungi solent, ut in tota hac complexione, etiam si praeverbium duarum sit syllabarum, semel accini oportere testetur Quintilianus I, 5, 27, sed secunda thesis etiam producta est atque semel arsis soluta, id quod, cum insequens thesis omissa sit, nunquam fieri posse demonstravimus. Huc accedit, quod primus in corrupto Festi lexici loco legitur, alter in Isidori Originibus, qui quam malus sit versus Saturnii auctor, haec Livii et Naevii ab eo tradita significant:

Tumque remos iussit religare struppis.
Pulcramque ex auro vertemque citrosam,

quae editoribus non parva negotia facessebant et facessent. Tertium autem exemplum optime sese habebit, siquis *lacrimas* prima producta legi posse demonstraverit.

In ceteris exemplis, quae nobis adversari videntur, hiatu, qui facillime in diaeresi fieri potest praesertim post longam sub ictu positam, optime vitatur, ne pri-

ma et secunda ultimae vocis syllaba ictus recipiant. Quod genus est primus inscriptionis Soranae versus:

Quod re sua difeidens   aspere afleicta.

Et in Vergilii Eurysacis elogio:

Hoc est monimentum Marcei   Vergilei Eurysacis.

Et apud Naevium:

Bicorpores Gigantes   magniquē Atlantes.
Inerant signā expressa   quomodo Titani.

Sin autem hiatus *m* litera lenitur, etiam productio in arsi concessa est, ut in his Livianis:

Utrum genuā amploctens   virginēm oraret.
Aut in Pylūm adveniens   aut ibī ommentans,

in quo prius *aut* ab editoribus additum est ex Odysseae II, 317: ἠὲ Πύλονδ' ἐλθὼν ἢ αὐτοῦ τῷδ' ἐνὶ δήμῳ, ne anacrusis desideraretur. Item in hoc Naeviano:

Patrem suum supremum   optumūm appellat.

Sunt porro versus, quorum si ultimae voci binos ictus deinceps tribueris, dactylus pro trochaeo legitimo erit. Dico autem hos:

Virum mihi, Camena   insece versutum.
Sancta puer Saturni   filia regina.
Deinde pollens sagittis   inclitus arcutenens.
Scapos atque verbenas   sagmina sumpserunt.
Sacra in mensa Penatium   ordine ponuntur.

Qui quomodo sint legendi, supra dictum est. Itaque thesium omittendarum leges sunt hae: ne intra verbum eiciantur, ne in singulis hemistichiis plures quam singulae, ne quae praeter medias, ne post thesim productam, denique, id quod in omnibus exemplis animad-

vertere licet, ne post vocalem arsis vi productam neve post arsim solutam. Quam ob rem nihil agit Pfavius, qui p. 69 hoc Naevianum tanquam integrum versum exhibet:

Súmme Deûm regnátor quĭănám genus ísti.

Neque poetarum anglosaxonicorum auctoritas, qua abutitur, quicquam illi prodest. Nam quod in eiusmodi versibus, quales sunt ab eo allati p. 60

Sŭnŭ Heálfdènes

et

Vĕrŏd eáll ârás,

ictus sive accentus in brevem cadit, de thesi omissa cogitari non potest, quoniam in Germanorum versibus, ut qui non e vocalium longitudine pendeant, nihil interest, utrum producta an correpta sub ictu sit. Denique mittenda est tandem aliquando ista versuum tractandorum ratio, quam qui amplexus est, quid discriminis tonicam et metricam poesim intercedat, prorsus obliviscitur. Quanquam minime ignoro, quam sit utile res similes comparare, praesertim cum ipse hoc investigandi explicandique genere satis largiter usus sim: sed, quae similia sint, paria et aequalia putare, hoc nihil aliud est, nisi verum sibi praecludere.

Nam cum Muellerus, Pfavius, alii Germanicae poesis similitudine pellecti versum Romanum barbaria inquinavissent, horridum quiddam atque adeo ἄμετρον, quod, nisi ictus dispositi essent, ne legi quidem commode posset, Saturnii metri nomine dignari coeptum est. Non me quidem fugit, hunc ipsum versum Horatio horridum visum esse, Charisium vero quinum denum

pluriumque pedum Saturnios repperisse, in quibus novum quoddam genus pedum esset et ipsum ametron. Sed Horatio, cum exemplaria Graeca nocturna versare manu, versare diurna cives iuberet, ut quidque a Graecorum arte alienissimum erat, ita maxime sordebat, Charisio autem qui sint Saturnii quidve ἄμετρον, doctiores velim inquirant, cum eiusmodi versus etiam apud Ennium, cui Faunorum et vatum, ut ipse ait, versus non admodum placuisse satis notum est, et apud Attium, qui certe cum Ennio sentiebat, et apud Laevium, qui Graecorum metris non modo usus, verum etiam abusus est, nescio quo pacto repperérit. Sed quid multa? Attii versuum, quos exempli gratia apposuit, alter videtur esse iambicus, alter anapaesticus, Laevii autem verba nulla re graviter mutata Lucianus Muellerus in libro, quem de Romanorum arte metrica scripsit, in versus ionicos ἀπὸ μείζονος ingeniose redegit. Sin monumenta ipsa spectamus, versus Saturnius multo cultior et politior est atque ad certiores leges constitutus, quam quibus multi alii populi utuntur, praesertim cum e vocalium differentia pendeat, quae maiore cura, quam accentus, observetur necesse est. Sed, ut hunc locum aliquando absolvam, in Scipionum elogiis duo versus leguntur, de quibus magna est hominum doctorum dissensio. Quorum prior est in elogio Scipionis Barbati:

Quoius formă virtutei parisuma fuit,

ubi *fuit* priore producta dicendum esse cum alii, tum Corssenus probavit I p. 149. De priore quidem dimidio nihil est quod dubitemus, quanquam Grotefendus

et Corssenus primam vocem per *i* vocale idque productum appellandam existimant, quo facto non modo diaeresis, quae hoc in monumento religiosissime observata est, sed etiam caesura amittitur. Buechelerus autem et Spengelius, cum secundam vocis *parisuma* corripi posse arbitrentur, prima arsi soluta et *ma* syllaba legitime producta thesim omittunt. Scilicet hoc uterque oblitus est, *similumum*, *facilumum*, cetera hoc genus *i* literam, quae etiam in positivo gradu esset, corripere posse, *parisumum* non item, quoniam *is* syllaba e comparativi suffixo *ius* contracta est: itaque in aliis unum suffixum inesse, quod est superlativi *tumus*, in aliis duo, et *ius* et *tumus*. Plura reperies in Corsseni libro, qui inscriptus est «Kritische Nachträge», p. 94. Quae cum ita sint, nihil restat, nisi ut sic legamus:

Quoius formā virtutei   parīsumā‿fŭit.

Cui simillimus est versus, qui est in elogio P. Scipionis P. f.:

Quibŭs *sei* in longa licuiset   tib*e* utier‿vita.

Nam si Corssenum sequamur, qui *quibus* sine apostropho legit, *utier* cum synizesi, caesura peribit, sin Spengelium, qui post vocem *tibe* hiari, ut ultima ante vocalem corripiatur, *utier* cum synizesi dici iubet, synizesis sane molestum genus exsistet et thesis post spondeum excidisse videbitur. Neque aliter se habere videtur hic Livii versus:

Argenteo polubro   et aureo glutro.

Nam *et* particulam, cum ad posterius hemistichium referenda sit, in prius transferre religiosum est propter

versus duplicis naturam, post vocem *aureo* ne ponatur, id, quod in non nullis Nonii editionibus factum est, usus antiquus vetat. Nemo enim Romanus ante extrema rei publicae tempora *et* particulam ultra vocabulum enuntiative principium unquam promovit. Quid tandem? num anacrusis posteriori hemistichio addi potest? Minime vero. Sed cum in his exemplis singulae theses desiderentur, eas ipsas e medio versu ad initium traiectas esse potius putandum est. Neque in tonica poesi deest similitudo: in Scandinavorum enim Drôttkvaedhi, quanquam, quod sciam, anacrusim non recipit, tamen thesis e medio omissa praeponi potest, ut in hoc disticho carminis Krâkumâl:

Thâ *e*r *e*k blôdhvàli braéddak Ok bórdh â lőg keýrdhak.

Hoc enim metrum, cum ad versus trochaicos nostrae aetatis proxime accedat, audacius, quam Germanorum veterum metra cum versu Saturnio comparamus. Ceterum animadverte thesim illis versibus praepositam corripi: tanta cura adhibetur, ne licentiam admissam esse legentes fugiat.

Itaque, postquam eorum versuum, qui cum Terentiani norma plerisque in rebus congruunt, rationem et leges ad liquidum, ut videmur, perduximus, ad horridiora et difficiliora properandum est. Sunt enim versus, qui non caesura, sed diaeresi post tertiam arsim dissecentur. In Scipionum quidem elogiis hi commemorandi sunt:

Honc oino ploirume cosentiont R[omane].
Duonoro optumo fuise viro.

Hec cepit Corsica   Aleriaque urbe.
Magna sapientia   multasque virtutes.

In Mummii tabula:

Corinto deleto   Romam redieit triumphans.

Apud Livium, ut nunc fere legitur:

Carnis vinumque, quod libabat, anclabatur.

Apud Naevium:

Sin illos deserant   fortissumos viros.

In eius elogio:

Obliti sunt Romae   loquier lingua latina.

Eodem modo in Francogallorum versu duplici, qui Alexandrinus dicitur, caesura, cum post tertiam arsim esse soleat, a veteribus poetis post quartam thesim identidem ponitur, ut in hoc Iohannis Meungii:

Quand l'entrée est mauvaisĕ   du bien spirital.

Que de re consule Quicheratii librum, cuius mentio supra facta est, p. 322 sqq. Ut in versu Alexandrino, ita in Saturnio eiusmodi caesura, cum praeter metri naturam alteri utri hemistichio thesim vel adimat vel adiciat, versus duplicis memoria tollitur aut obscuratur. Itaque, quoniam versus duplex ita divisus est, ut priori hemistichio aut proprium deesse sentias, quod ex altero addere velis, aut alienum adiunctum esse, quod quo pertineat reddere properes, inter utrumque hemistichium vel fragmentum tam diu, quam in caesura legitima subsisti vetat ratio et elegantia. Quam ob rem haec non caesura, sed potius diaeresis habenda est. Atque hoc dividendi genus in licentiis numeratum

esse, vel exemplorum penuria significat, deinde diligentia, qua prius hemistichium ad extremum expolitur. Nam praeter illud

Corinto deleto,

quod in monumento est non admodum eleganti, et Naevianum

Obliti sunt Romae,

quod benene se habeat, non constat, nullum est exemplum, quin thesis, quae ultimae arsi praecedit, aperte corripiatur. Quanquam in longioribus carminibus eandem saepe produci probabile est. Quod cum ita sit, quale illud Corsseni esse existimamus, versum Saturnium arsi concludi posse, cum prius quoque hemistichium, si post tertiam arsim resectum sit, in iambum purum plerumque exire videamus? Ea autem diaeresis, quae post alteram arsim esse solet, hoc in genere versus non modo non observatur, verum etiam consulto omittitur, ne post singulos pedes diaereses fiant. Posterius vero hemistichium multo difficilius quam prius diiudicatur propter exemplorum exiguum numerum. Certa enim est scansio horum:

Romam redieit triumphans.
Loquier lingua latina.
Cosentiont R(omane),

in quo, quae uncis inclusa leguntur, de coniectura addita sunt. Sed cum *R* litera in monumento exstet, nihil aliud conici potest praeter illud aut *Romai* aut *Romae* thesi suppressa. Verum tamen animadvertere licet, thesim eam quidem, quae in solito schemate corripiatur, hac in specie posse produci, productam solvi,

sed diaeresim post secundam arsim etiam hic observari. Quam ob rem vereor, ut fide dignus sit versus, in quo neque thesium correptio neque diaeresis legitima custodita sit, ut in hoc Naeviano:

Deum regis frātrem   Neptunūm regnatorem,

praesertim cum qui praecedit

Senex fretus pietate   deum adlocutus summi,

in ipso alterius hemistichii initio et synizesi et elisione eiusdem vocis turpis factus sit idque neglecta gravissima diaeresi. Neque ulla emendandi via mihi nota est, nisi forte verbum addatur hoc modo:

Senex fretus pietate   divom adlocutus
(Jovis) summi deum   regis fratrem Neptunum,
Regnatorem marum.

Ceterum *divom* si legas, tolletur vocis *deum* molesta repetitio. Hiatus autem hoc in verbo non maior est offensio, quam in illo

Duonoro optumo,

in quo *m* litera ne scripta quidem est. Nam sine hiatu hoc legi posse, ut *u* litera vocalis fieret, *o* produceretur, Spengelius p. 87 mihi non persuasit. *Marum* utrum cum elisione an integrum putandum sit, incertum est, quoniam versus hoc genus etiam binos poni e L. Scipionis L. f. elogio apparet.

Prima autem syllaba, quae a priore hemishictio avulsa est, cum ad posterius hemistichium tanquam anacrusis accesserit, ne solvatur, nihil impedit. Itaque solutam eam vidimus in Naeviano

Obliti sunt Romae   lŏquĭer lingua latina.

Sed cum caesuram, qua versus post tertiam arsim dissecatur, diaeresium, quales ceterae sint, potius similem esse deprehendamus, nonne exspectandum est, etiam thesim, quae eam sequatur, id est primam posterioris dimidii, supprimi posse? Et vero quomodo legendus est hic versus:

Hec cepit Corsica Aleriaque urbe,

nisi thesi omissa? Qui cum inter duos versus esset, quorum exitus una cum tabulae particula periissent, Ritschelius addidit *pugnandod*, quod una cum elisionibus caesuram vel diaeresim tollit. Quam ob rem Spengelius vocem trochaicam periisse censet legitque p. 87:

Hec cépit Corsicá Alériaque úrbe,

scilicet *que* particula elisa. Sic tamen, cum syllabae *leri* sub arsi sint, et thesis producitur et diaeresis pessum datur. Itaque hoc restat, ut syllabis *Ale* in arsi positis *ri* in thesi relinquamus et, ut diaeresis post secundam arsim servetur, qua in Scipionum elogiis ne hanc quidem versuum speciem carere videbimus, *que* particulae vocalem elidamus. Itaque posterius hemistichium eandem fere figuram recipiet, quam habet hoc:

Samnio‿cepit.

Elisio enim nihil obstat, quin thesis intercidat, quapropter in pentametri caesura fit ut vocales coniungantur, ut in hoc Catulliano:

Nec genitor Nympharu*m* abluit Oceanus.

In eodem L. Scipionis elogio est hic versus:

Duonoro optumo fuise viro,

de cuius priore hemistichio iam egimus. Posterius autem ne mancum videatur, plerique addunt *viroro*. Sed Weilius et Benloewius recte indicant p. 96, hunc versum ita positum esse, ut nullam eius partem interiisse appareat. Sic enim tabula se habet:

honc oino. ploirume. cosentiont r
duonoro. optumo. fuise. viro
luciom. scipione. filios. barbati
consol. censor. aidilis. hic. fuet. a
hec. cepit. corsica. aleriaque. urbe
dedet. tempestatebus. aide. mereto

Ergo spatium vacuum, quod post vocem *viro* relictum est, nihil hoc in versu interiisse declarat: quod ni ita esset, etiam eorum versuum, quos inter legitur, bona pars desideraretur. Unde Weilius et Benloewius colligunt, versus Saturnios non modo senum, sed etiam quinum ictuum fuisse. Quod cum nullo alio argumento nitatur, hunc versum quinto huius tabulae similem esse potius existimandum est. *Fui* enim perfectum priorem productam antiquitus habuisse, satis constat, itemque eiusdem temporis terminationem *se*, cum indico veteri *sê*, graeco σαι responderet, producte olim dictam esse. Neque *vir* inde ab initio correpta vocali appellabatur, cum cognationem haberet cum scr. *vîra-s*, armen. *air*, lit. *výras*, goth. *vair*, quo Curtius elementorum etymologiae Graecae p. 519 refert graecum ἥρως. Fuit igitur olim *viros* priore producta, quae nisi postea brevis facta esset, terminatio intacta maneret, ut in eis, quae sunt *mîrus*, *dîrus*, *sêrus*, *vêrus*, *sevêrus*, *dûrus*, *pûrus*, quorum paenultima producitur. Correpta autem est non aliter atque in multis disyllabis, qualia sunt *homo* a scr. *bhûman*, *humus* a scr. *bhûmi*, *canis* a scr.

çvân, *locus* a scr. *lôka-s*, *premo* pro *prae-imo*, *ferus* a primitivo *dvâra* sive *dhvâra*, quod fingo e gr. ϑήρ sive φήρ, germ. vet. *thior*, recentiore *Thier*, angl. *deer*, slav. *звѣрь*: nam quod simillimum est gr. ϑύρα, germ. *Thür*, angl. *door*, slav. *дверь*, lat. *fores*, indica eius forma est *dvar*. Idque inesse videtur in hoc fratrum Arvalium versu:

Satur fu, fēre Mars, limen sali, sta berber.

Glomus autem, cuius prior fere corripitur, eadem producta invenitur apud Lucretium I, 360. Sed in eo, quod est *vîrus* venenum, utrum antiquitus an postquam *virus* homo antiquam longitudinem amisisset, vocalis, quae in scr. *viśas* corripi soleret, produci coepta sit, sane dignum videtur, quod inquiratur. Quod cum non huius sit loci, iam ad propositum redeamus. Illum igitur versum sic scandimus duabus thesibus suppressis:

Duonoro optumo ‿fūisē‿vīro.

Quod si ita est, nihil est quod emendetur in his Naevii:

Multi alii e Troia strenui‿vīri.
Sin illos deserant fortissumos‿vīros,

quorum in priore quod bis hiandum est, nemo haerebit. In hoc autem elogio *i* productum simpliciter, non per *ei* scribi apparet e versu, qui hunc sequitur:

Lucīom Scīpione fīlios Barbatī.

Medius autem ille sonus, qui est inter *i* et *e*, sola *e* litera expressus est. Quem cum in perfecto esse constet, quod genus sunt in hoc monumento *fuet* et *dedet*, in senatus consulto de Bacchanalibus facto *adiese*, sequitur, ut in eo, quod est *fuise*, haec perfecti nota

corripiatur. Atque apud Plautum hoc *i* correptum saepe reperimus, ut *dedĭse* pro *dedisse* in Amph. II, 2, 128, in Pseud. IV, 2, 33, in Cist. I, 3, 34. Quae cum ita sint, inter ea, quae sunt *fuise* et *viro*, thesis optimo iure supprimitur. Neque aliter legendum est A. Atilii Calatini elogium, quod, si Ciceronis de fin. II, 35 et de sen. 17 comparentur, sic videtur conceptum fuisse:

Honc oino ploirumai cosentiont‿gentes
Pŏpŭli primario ‿fuise‿viro.

Nulla igitur causa est, quin integer habeatur hic Livii versus:

Mercŭrĭus cumque eo filius Latonas.

Sed quanquam in versibus, qui post tertiam arsim inciduntur, secundam posterioris hemistichii thesim non semper corripi vidimus, in his tamen, quorum posterius dimidium ab arsi incipiat, ne legentes haereant, fieri non posse, quin corripiatur, consentaneum est. Quo magis mirandus est hic versus, qui in L. Scipionis Gn. f. Gn. n. sepulcro incisus est:

Magnam sapientiam multasquē virtutes.

Nam quod nunc fere fit, ut vocis *virtutes* prima et secunda suo quaeque ictu insigniantur, propter thesim medio in verbo suppressam ferri nequit. Grotefendus autem, cum theses omitti ignoraret, *que* particulam duas syllabas facere coniecit, ut dicendum esset *cue*. Quod cum defendere non audeam, similitudine tamen carere non nego. Nam et *aqua* tribus syllabis dicta est a Lucretio VI, 552 et 868 atque, si Lachmannus ad priorem locum recte adnotavit, a Plauto aliquotiens,

quanquam pro *qu* simplex est in indico veteri *ap* et persico *âb*. Deinde, quod Indorum lingua dicitur *svâdu*, Graecorum ἡδὺς, Slavorum *сладѣкъ*, latine *suavis* binis syllabis, in plebeculae ore trisyllabum factum est, ut in hoc versu tonici cuiusdam hymni de nomine Iesu ad matutinam:

Nil canitur süavius,

unde trisyllaba sunt ital. *soave* et franc. *suave*. *Suadere* autem, quod ab eodem *svâdu* factum est, distractas vocales habet apud Lucretium IV, 1157. Sed quod ad *que* disyllabum magni interest, in altera compositi parte semivocales vocalem sonum interdum recipiunt. *Iam* enim particula disyllaba fieri solet, cum alia praeposita est: itaque *i* vocalis est in his *et-iam*, *quon-iam*, *nunc-iam*, *quis-p-iam*. In Francogallorum sermone *hier*, quod nunc distractis vocalibus fere dicitur, antiquitus autem, cum a latino *heri* derivatum esset, contractis, quandoque voci *avant* adiunctum erat, nunquam non disyllabum fiebat, et ab eo, quod propter latinum *mel* per monosyllabum dicebatur *miel*, cum praepositione factum est tetrasyllabum *emmieler*, quorum exempla vide in Quicheratii libro p. 297 sqq. Huc accedit, quod *u* post *q* nunquam eundem sonum atque in verbi initio adepta est, ut inter *aqua* disyllabum et *aqüa* trisyllabum paene nihil interesset, nisi quod in altero *u* litera morae spatium aequaret, in altero brevi brevior haberetur. Quae argumenta quam fluxa et ambigua sint, quanquam ipse sentio, tamen, cum ille versus monstri instar sit, Grotefendi coniecturam amplecti malo, quam e media voce thesim eicere. Nam de Graecorum τονῇ sive productione, cuius ope longa

δίσημος in τρίσημον porrigatur, in versu Saturnio cogitare equidem non audeo. Verum tamen siquis non omnino absurde conabitur probare, ut inter duo verba λεῖμμα, ita intra verbum τονήν concessam esse, multo libentius credam, quam theses usquequaque omitti, dummodo ceterae versus Saturnii leges observentur. Sed de versus Saturnii figura hactenus: iam syllabarum, quibus eius pedes constituuntur, leges metricas et prosodiacas breviter perstringemus.

Ac theses corripi vidimus ante thesim omissam, deinde si e medio versu ad initium transpositae essent, denique plerumque in secunda sede posterioris hemistichii et ante tertiam arsim, post quam prius hemistichium resecaretur. Quae ex hac lege excipiuntur, supra adscripta sunt: quae ex illa, unum habeo, quod adiciam:

Bicorpores Gigantes magniquē Atlantes,

quod nescio an corruptum sit: certe Prisciani codicum scriptura mirum in modum hoc loco variat. Est praeterea Belli Punici Sangae nescio cuius fragmentum a Merula traditum, quod ipse sic digerit:

Inhospitalis victrices absorbet unda
Latium legiones hominum,

ut reliqua versus pars desiderari videatur. Quod cum caesura et omnibus diaeresibus careat, sic potius distribuendum esse existimo:

inhospitalis victrices absorbet
Undā Latium legiones hōminum.

Itaque, nisi Merula omnino fraude usus est, versuum, quorum quarta thesis producta est, numerus uno exemplo augebitur.

Productas autem, sive in arsi sive in thesi sint, facillime solvi, multa exempla significant. Atque thesium solutarum exempla in inscriptionibus sunt haec:

Gnaivod patrē prognatus fortis vir săpĭensque.
Sŭbĭgĭt omne Loucanam opsidesque abdoucit.
Qu*ei* ăpĭc*em* insignē dialis flaminis gesistei.
Quĭbŭs *sei* in longa lĭcŭiset tib*e* utier vita.
Facile facteis sŭpĕrases gloriam maiorum.
Magna săpĭentia multasque virtutes.
Dĕcŭma facta poloucta leibereis lubentes.
Duct*u* auspĭcĭ*o* impĕrĭoque eius Achaia capta.
Corinto deleto Romam rĕdĭeit triumphans.

Apud Naevium haec:

Inĕrant signā expressa quomodo Titani.
Quam cum stupro redire ad suos pŏpŭlaris.
Urit pŏpŭlatur vastat, r*em* hostium concinnat.
Superbiter contemptim conterit lĕgĭones.
Obliti sunt Romae lŏquĭer lingua latina.

Apud Livium haec:

Celsosqu*e* ocris arvăque putria et mărĕ magnum
Utrum gĕnŭā amploctens virginēm oraret.
Sĭmŭlac lăcrĭmas de ore noegeo detersit.

Arsium solutarum exempla inscriptiones haec suppeditant:

Hec cepit Corsica Alĕriaqu*e* urbe.
Honos famā virtusque glori*a* atqu*e* ingĕnĭum.
Quare libens t*e* in gremiu, Scipio‿rĕcĭpit.
Donu danunt Hercolei maxsume‿mĕrĕto.

Livii Odissia haec:

Quando dies advĕnĭet, quem profata Mortast.
Aut in Pylūm advĕnĭens aut ibĭ ommentans.

Naevii Bellum Punicum haec:

Noctu Troiad exibant căpĭtibūs opertis.
Deindē pollens sagittis inclutūs, arcŭtĕnens.
Magnum stuprum‿pŏpŭlo fieri per gentis.
Verum praetōr advenit, auspicāt auspĭcĭum.
Sicĭlĭenses paciscit obsides ut reddant.

Licet etiam in eodem versu et theses et arses solvere, id quod fit in his inscriptionum versibus:

Mors perfecit tŭ*a* ŭt essent omniā‿brĕvĭa.
Hoc est mŏnŭmentum Marcei Vergilei Eurўsăcis.
Hoc est factum mŏnŭmentum Maanio Caicĭlĭo.
Bĕnĕ rem geras et vălĕas, dormias sĭnĕ qura.

Apud Naevium:

Plerique omnes sŭbĭguntur sub suum iudĭcĭum.

Quae ut recte consideremus, tenendum est, versum Saturnium e duobus trochaicis constare, quorum priori anacrusis addi soleat. Itaque solvitur anacrusis et thesis secunda, si diaeresis praecedit, ut in his:

Quĭbŭs *sei* in longa lĭcŭiset.
Fortis vir săpĭensque.

In priore dimidio excipitur hoc:

Duct*u* auspici*o* impĕrĭoque.

Sin autem trochaeo syllaba praeposita est, sive anacrusis sive a priore dimidio avulsa, etiam prima thesis, cum producta sit, solvitur, ut in his:

Hoc est mŏnŭmentum Marcei.
Romam rĕdĭeit triumphans.

Ultima autem si solveretur, versus in dactylum exiret, a quo non modo exitus, verum etiam totum hoc metrum ita abhorret, ut una cum thesi soluta vocem

terminari non patiatur, ne dactylus exsistat, nisi elisione factus sit, ut in hoc:

Duct*u* aŭspĭcĭ*o* imperioque.

Arsis solvitur prima et tertia, ut in his:

Sicĭlĭenses paciscit.
Căpĭtibus opertis.
Quare lubens t*e* in grĕmĭu.
Glori*a* atqu*e* ingĕnĭum.

Neque thesim omissam obstare, ne arsis solvatur, his docemur exemplis:

Magnum stuprum‿pŏpŭlo.
Omniā‿brĕvĭa.
Scipio‿rĕcĭpit.
Maxsume‿mĕrĕto.

Secundam autem, quam diaeresis subsequi solet, etiam si non observata sit, solvi unquam posse nullum exemplum docet. Quanquam propter reliquiarum paucitatatem solutionem ab hoc loco omnino abesse dicere non ausim. Porro neque arsis cum thesi neque duae arses deinceps solvuntur, ut productione potius utendum videatur in hoc Naeviano:

Simŭl aliŭs aliunde rumitant inter se.

In Saturnio enim versu, ut est gravissimus, solutio multo parcius usurpatur, quam in aliis eiusdem aetatis versibus iambicis et trochaicis, et, cum licentia sit, diaeresibus adiuvetur necesse est. Neque aliam ob causam neque post trochaeum solutum neque inter syllabae solutae partes hiatus invenitur. Itaque non dubito, quin elisione utendum sit in hoc:

Hospes gratum *est*, qu*om* apud mĕās restitistei seedes.

Quanquam praeter solutionem hiatum *m* literae vel non scriptae in thesi vidimus in hoc:

Duonoro optumo fuise viro.

Sed, ut ad hunc locum transeam, hiatus in thesi sine *m* litera non concessus est, nisi cum producta corripitur, ut in hoc inscriptionis Soranae versu:

Parens timens heic vovit votŏ hoc soluto.

Quam ob rem, ne thesis post anapaestum omissa esse videatur, audacter hiamus in hoc Liviano:

Simulac lacrimas dĕ ore noegeo detersit.

Quod genus sunt apud Vergilium *mĭ amice*, apud Horatium *mĕ amas*, apud alios alia, quae omnibus nota sunt. In Saturnio autem aliud exemplum non inveni. Contra elisionis longi monosyllabi, qualia sunt *qui*, *si*, *te*, *que*, in arsi et in thesi, in producta et in correpta non pauca sunt. *Que* in arsi integram habet vocalem hoc in versu:

Bicorpores Gigantes magniquē Atlantes.

In arsi ultima natura producta aut in *m* literam exiens quam facile in diaeresi servaretur, iam vidimus. In prima autem prioris dimidii arsi Livius hiasse videtur in hoc:

Partīm errant, nequinont Graeciam redire.

Naevius in his:

Multi alii e Troia strenui viri.
Postquām avēm aspexit in templo Anchises.

Quanquam elisioni obnoxia sunt non modo polysyllaba, verum etiam voces iambicae idque, nisi fallor, semel in brevi. Sic enim certe legendum est:

Mors perfecit, tu*a* ut essent omniā brevia.

Quod elidendi genus in comoediis non rarum est.

Hiatus cum brevis productione coniunctus praeter *m* literam non invenitur. Cuius rei exempla, cum supra adscripta sint, hic repeti nihil opus est. Eam autem, quae sine hiatu fit, productionem testantur hi versus:

Deindē pollens sagittis inclutūs arcutenens.
Sanctus Delphis prognatus Pythiūs Apollo.
Ne quairatīs honore quei minus sit mactus.
Runcūs atquē Purpureus filii‿terras.
Simūl aliūs aliunde rumitant inter se.

Itaque ultima syllaba producitur in diaeresibus et in prima arsi, ea tamen, quae consona clauditur. Nam in illis *insece, ordine, vita,* aliis vocalem non arsis vi produci vidimus, in eo autem, quod est:

Qu*ei* apic*e* insignē dialis flaminis gesistei,

nescio an recte iudicaverint Weilius et Benloewius p. 94 *m* literam excidisse, ut in eodem elogio *apice* et *gremiu* scriptum est. Quo iure homines docti legant

Facilē facteis superases gloriam maiorum,

ipsi viderint: neque enim demonstratum est, hoc *e* ablativi esse.

Sed praeter hoc producendi genus antiquam ultimarum longitudinem in Saturnio saepe numero usurpatam esse vidimus. Producte igitur dicta sunt *a* in no-

minativo singularis primae declinationis et nominativo et accusativo pluralis secundae et tertiae, *e* in ablativo tertiae et in particula *que*, *or* in nominativo nominum agentis, *at*, *et*, *it* in verborum tertiis personis. *I* autem extremum, quod multis in vocibus commune erat, in versu Saturnio producebatur, ut in his *mihi*, *ibi*. Sed num semper *e* ablativi producatur, valde dubito. Nam cum in eorundem poetarum versibus scaenicis plerumque corripiatur, tum aliter legi non potest hoc exemplum:

Aetatĕ quom‿parva posidēt hoc saxsum.

Quam ob rem distinguenda esse arbitror ea, quorum paenultima producitur, ut *aetate*, et ea, quorum eadem corripitur, ut *patre*, *ordine*. In his enim propter ictum ultima producatur necesse est, in illis modo producitur, modo corripitur, ut in eodem monumento dicere liceat *victus est virtutei* et *aetate quom parva*. Est praeterea aliud *e*, quod mihi interdum produci potuisse videatur. Tradita enim sunt vocativi casus antiqui gratia duo Odissiae Livianae fragmenta, quae ita se habent:

Pater noster Saturni filie.
Neque tamen te oblitus sum Laertie noster.

Sed in altero pro *tamen* in aliis codicibus scriptum est *enim*, Laertii nomini *o* praepositum est, verba alio ordine posita leguntur. Itaque Fleckeisenus emendat sic:

Nequē tam ted oblitus sum, Laertie noster,

plerique ad alterum librorum genus inclinantes sic:

Neque enim oblitus sum te, o Laertie noster,

alii aliter, ita tamen plerique, ut posterius dimidium aut ab illo *o* aut a verbo *sum* incipiat, id est, ut et diaeresi careat et dactylo inquinetur. Alterum fragmentum quin trisyllabo media producta aut eius solutionibus fulciendum sit, dubium non est. Bene igitur Guentherus supplevit *regnator*, quod Homerico ὕπατε κρειόντων responderet, sed thesim in eo excidisse arbitratus est non item. Etenim, cum quamvis vocem trisyllabam, quae dactylica esse videretur, qualia sunt *ordine*, *filia*, *insece*, *sagmina*, ne commemorem *inclitus*, *Pythius*, in posteriore hemistichio ultima producta dicenda esse viderimus, fieri non potest, quin poeta hunc versum ita scansum voluerit:

Pater noster, Saturni   filiē, (regnator),

nisi propius ad exemplar scripsit

filiē (rex summe),

quod fortasse respexit Naevius, cum scriberet

(Jovis) summi deum   regis fratrem Neptunum.

Neque in altero fragmento emendando alio artificio utendum esse censeo, quam hoc:

Nequē tam te *sum* oblitus,   Lartiē‿noster.

Lartium enim pro Laertio dixit Plautus Bacch. IV, 9,22 (946), quidam apud Quintilianum VI, 3,96, Sophocles in Aeante Mastigophoro, quem versum laudat Priscianus VII, 18 ed. Hertz. huius ipsius fragmenti Liviani gratia. Ceterum nescio an etiam *Laertie* trisyllabum pro *Lertie* ferri possit, ut *scaena* pro *scena*. Quodsi *e* vocativi non arsis vi, id quod propter vocalem vocis exitum mihi quidem probabile non est, praeter verbi

rationem producitur, thesis, quae subsequitur, sine offensione omittitur. Atqui in Horatii Sat. I, 3, 7 *io Bacchē* sive, quod in multis libris scriptum est, *Bacchae* nihil aliud esse potest nisi vocativus Bacchi nominis. Ac nescio an non temere scriptum sit *Bacchae* pro Bacche et in non nullis Prisciani codicibus *Laertiae, filiae*, scilicet ut vocalis longitudo significaretur. Neque apud Graecos desunt versus, qualis est Il. XIX, 400:

Ξάνθε τε καὶ Βαλίε, τηλέκλυτα τέκνα Ποδάργης.

In Indorum autem antiqua lingua non modo *i* et *u* extrema in vocandi casu in diphthongos mutantur, verum etiam *a* breve, a quo illud *e* latinum ortum est, in trimatram vel τρίσημον interdum producitur. Qui usus quomodo definitus sit, vide in Boppii libro, qui inscriptus est «Kritische Grammatik der Sanskritsprache in kürzerer Fassung», § 15 b). Quae cum ita sint, *e* literam, qua vocativus terminetur, siquando producta sit, non ictu, sed ut etiam nos, quanquam longarum et brevium differentiam prorsus amiserimus, siquem e longinquo adloquamur, in ultima non modo vocativi, sed cuiuslibet vocis syllaba vel extra accentum posita diutius moremur, ita productam esse existimo.

Vocalium in mediis vocibus antiqua consuetudine productarum vidimus exempla duo, *vir* et *homo*. Est autem praeterea in versu Saturnio longitudinis genus, quod aureae quae dicitur aetatis poetis concessum existimatur, antiquissimis plerumque non item. Dico mutas cum liquidis coniunctas, quarum vim in his versibus agnosco, altero Naevii, altero Livii:

Flentes ambae, abeuntes   lăcrumis cum multis.
Celsosqu*e* ocris arvāque   pūtri*a* et mare magnum.

Nam neque prima posterioris dimidii thesis solvitur aut post praepositionem λεῖμμα concessum est neque post pedem solutum hiatur. Praeterea a bono auctore Gellio servatus est hic Livii versus:

Ibīdemquē vir summus adprimus Patrōclus,

in quo *Patricoles*, quod Bergkius proposuit, scribi sane potest, sed debeatne, quaeritur. Positionis autem hoc genus apud antiquissimos nunc a plerisque propterea, opinor, non agnoscitur, quod una cum diligentissima Graecorum imitatione in Romanorum versus invaserit. Neque vero in scaenicorum re metrica usque ad suprema rei publicae tempora inveniri dicitur. At in Arabum, Persarum, Indorum antiquo sermone debilis quae dicitur positio vocales non minus producit, quam mutarum complexio. In Graecorum autem veteri lingua haec modo producendi, modo corripiendi facultas multo artioribus quam postea limitibus circumscripta erat. Nam μ et ν literae mutis additae apud Homerum positionem facere solebant, apud Atticos ancipitem reddebant syllabam. Quid quod etiam ante μν vocalis apud lyricos interdum brevis manebat? At in hexametro, qui propter rem ipsam antiquam gravitatem referebat, eadem rarius reperiuntur. Ex quo colligitur, in sermone Graeco non minus, quam in Indico positionem debilem eandem vim atque validam antiquitus habuisse. Huc accedit, quod positio debilis, quanquam in versibus saepe neglegitur neque ad accentum quicquam valet constituendum, in comparando tamen satis habet ponderis, ut ὂ μικρὸν ante terminationes τερος et τατος non producatur. Latinam linguam hac in re Graecae non dissimilem fuisse cum linguarum cognatarum comparati-

one, tum vocibus, qualis est *poublicus*, confirmatur. *Poublicus* enim vel *puplicus*, etsi pro *populicus* dictum est, tamen primam productam habet, ut, postquam positionis vis imminuta sit, vocalis longitudo servetur. Itaque ante complexiones *ns* et *nf* positionis memoriam naturali vocalium longitudine fultam esse, testatur Cicero Oratoris c. 48. Etenim, nisi saltem *ns* admodum leviter appellarentur, non licuisset Plauto ea, quae sunt *sedens* et *lubens*, utraque correpta dicere. Eodem modo amissa positione Graeci dixerunt ἀλλήλους pro ἀλλάλλοις et Persae in versibus, cum vocalis interposita esset, *mîhemân* pro *mihmân*, *bûsetân* pro *bustân*. Quid ea commemorem, in quibus ingratae complexionis vitandae causa consona ante consonam elisa est? *Poplicus* igitur—haec enim forma antiquior fuerit necesse est — primam positionis vi productam habuerat. Nam *u* literam, quae in voce *populus* esset, eiectam nihil ad producendum valuisse, brevi priore *popli* apparet. In heroo versu iam apud Ennium et Lucilium huius positionis exempla inveniuntur. Quid? Plautus nonne nullam eius rationem habuisse dicitur? At tamen hoc producendi genere usus est in versu trochaico Rud. IV, 5 (V, 1), 18 (1208):

Súnt domi agni et pórci săcres. sét quid istum remorámini?

Ubi animadverte una cum positione nominativi pluralis terminationem antiquissimam, ex qua conicias, hanc priscam sacerdotum fuisse formulam. Deinde, quem ad modum *rubri* casus obliqui circa divi Augusti tempora *u* litera producta dicebantur, ut praeter Lucretii VI, 402, quod sciam, nullum fere correptae exemplum exstaret, ita idem Plautus dixit Truc. II, 2, 39:

Búccas rūbricaé, cera omne córpus intinxít tibi.

Denique idem dixit Curc. III, 1, 23 (393):

De Cṓclitum prosápia te esse árbitror,

quanquam Ennius — qui locus est in Varronis de lingua latina VII, 71 Muell.—in versu heroo correptione usus est sic:

decem Coclites, ques montibu' summis
Ripaeis fodere.

Sin coniecturis indulgere licet, nescio an Plauti versus, qui est Most. I, 2, 31 (112 R., 107 Lor.):

Tigna putrefacit, perdit operam fabri,

probus sit tetrameter creticus, ut qui utrinque leguntur. In plebeio autem sermone quam neque haec neque illa ratio vicerit, declarat linguarum Romanensium accentus, cuius positura multis in verbis tam antiqua est, ut vocalis immutata sit. Itaque latinum *pénĕtro* apud Italos factum est *penétro*, pro *cólŭbra* iidem dicunt *colúbro*, Francogalli *couleúvre*, pro *álăcri* Itali *allégro*, Hispani *alégre*, pro *ténĕbris* Hispani *teniébla.* Itali autem, quanquam Romanum accentum tenent in his *ténebre, látebra*, *vértebra*, *cérebro*, *célebre*, eundem mutarunt in hoc *palpébra*, cuius simile est Francogallicum *paupière*, neque bona vocis *féretro* voculatio impediit, ne positionem debilem sequerentur in eo, quod est *farétra*. *Integrum* autem, cuius secunda in casibus obliquis et in derivatis producta est a Lucretio I, 927 (IV, 2), 1032, II, 1146, VI, 231, ab Horatio Sat. II, 2, 113 et 4, 54, a Vergilio Ecl. 4, 5, alibi, et Itali et Hispani et Francogalli accentu promoto di-

cunt *intéro*, *entéro*, *entiér*. Nam *íntegro*, cum non idem esset atque *intéro*, e latina lingua multo post translatum est. Iam igitur, ut Caesaris Augusti saeculum nominativos *coluber*, *piger*, *liber*, *ruber* paenultima correpta, obliquos casus et derivata eadem producta appellavit, ita plebs *integri* secundam alibi aliter dictitasse existimanda est. Atque eius appellationis indicium in versu Saturnio repperisse mihi videor. Sunt enim Naevii duo versus, qui in Nonii codicibus ita scripti sunt:

Transit Melitam Romanus exercitus insulam integram
Urit populatur vastat rem hostium concinnat.

Quorum posteriorem bene se habere supra vidimus, in priore autem, cum alterum hemistichium longiusculum videretur, Buechelerus coniecit, primam vocis *integram* corripi, id quod fieri posse Spengelius recte negavit, ipse Hermannum sequens ultimam eiusdem vocis syllabam cum prima versus insequentis coalescere confirmavit p. 110. At quicunque versus ex hemistichiis asynartetis compositus est, quales omnino sunt duplices sive longi, is tam absolutus et solidus habetur, ut neque primus neque extremus ex eo, qui anteit quive insequitur, quoquam modo pendere videatur. Sed fac Hermannum verum repperisse: at posteriori dimidio anacrusis addita est. Nam quod Spengelius syllabam *ex*, quam hic, ut apud Plautum, corripi posse arbitratur, alteram partem thesis solutae esse dicit, cum altera, quae esset *nus*, in priore hemistichio manserit, hoc tam novum tamque mirum solutionis genus est, quod verbo attigisse

satis non sit. Finge tamen etiam hoc verum esse: at secunda thesis in dactylum soluta est idque sine diaeresi. Sed etiam si nihil sit, quod metrum evertat, at oratio post vocem *exercitus* non apte inciditur, ut in versu insequenti absolvatur. Quae cum ita sint, bene Vahlenus vocem *exercitus* ut glossema eiecit, non bene tamen voce *omnem* post id, quod est *integram*, addita diaeresim sustulit. Neque vero quicquam addatur opus est, cum versus optime ita procedant:

Transit Metitam Romanus, insulām intēgram
Urit populatur vastat, *rem* hostium concinnat.

Huc accedit, quod et *Romanus* per synecdochen dictum sermonem poeticum magis decet, quam hoc *Romanus exercitus*, et, cum elisio duplex vitata sit, syllaba producta in diaeresi servatur. Quintum eiusdem positionis exemplum in emendationibus enucleabitur. Quanquam in Saturnio hoc producendi genus non constantius servari, quam in notissimo illo Ovidii versu:

Et primo similis volucri, mox vera volucris,

non est, quod argumentis comprobem. Quam ob rem bene traditum est hoc Livii:

Simul ac lacrimas de ore noegeo detersit.

Sed in antiquissimorum poetarum versibus, cum summa eorum regula non originis rationes, sed populi sermo et usus fuerit, praeter mutarum liquidarumque conexiones aliud quoddam positionis debilis genus invenitur. Eadem enim consona bis posita, cum tam similis esset simplicis, ut antiquitus semel poni soleret, vocalem praecedentem, etiam si sub ictu esset, non semper producebat. Itaque Plautus per simplicem dixit *Hilurios*

pro Illyriis Men. II, 1, 10 (235), *satelites* Trin. IV, 1, 14 (833), *similumae* Asin. I, 3, 88 (241), *Philipus* et *Philipeus* Mil. IV, 2, 69 (1061), ibid. 72 (1064), Trin. I, 2, 115 (152), IV, 2, 113 (955), ibid. 117 (959), ibid. 123 (965), V, 2, 34 (1158), Curc. III, 1, 70 (440), alia. Quod genus in versu Saturnio hoc esse demonstravimus:

Duonoro optumo fuĭse viro.

Deinde bene videtur Spengelius p. 106 hoc Naevianum digessisse:

septimum decim*um* annum
Ilico sedent.

Fortasse eodem adnumerandum est hoc eiusdem poematis fragmentum:

vicĭsatim
Volvi victoriam,

ut in Plauti Stich. VI, 1, 27. Praeterea *ps* producendi vi carere apparet in hoc Livii versu:

Apud Nymphām Atlantis filiam Calў̆psonem.

Neque aliter Plautus appellavit *ipse* Trin. IV, 2, 59 (901), 60 (902), alibi et *opsono* Men. II, 2, 45 (319) et Varro in satura, quae inscribitur Ὄνος λύρας, p. 180 Ries.:

Neque orthŏpsalticum attulit psalterium,

quo de versu vide editionis Riesianae p. 90. *Y* autem literam in Calypsonis nomine per se brevem esse colligitur e voce καλύβη, quam invenies exempli causa in Theocriti 21, 18, in Batrachom. 30, in Vergilii Aen.

VII, 419. Sed etiam consonae finalis cum insequenti producendi vim non habentis, quod genus apud Plautum satis late patere constat, unum saltem exemplum in Barbati filii elogio inesse suspicor. Etenim, cum neque tertia arsis, si diaeresim post se habeat, solvi possit neque vocalis ante dativi terminationem *bus* producte unquam appelletur, sequitur, ut neque priores bene legerint:

Dedet tempestatĕbŭs aide mereto [d votam],

neque Spengelius verum invenerit, cum sic legendum esse censeret:

Dedet tempestatēbus aide mereto [d votam].

Nihil igitur restat, nisi ut Plautino more legamus:

Dedĕt tempestatebūs aide mereto [lubenter].

Lubenter autem, quae Grotefendi coniectura est, pro Ritschelii *votam* propterea suppleo, ne thesis, quo non debeat, loco desit. Cetera per se perspicua sunt. *Bus* enim terminationem antiquitus productam fuisse supra commemoravimus, *e* autem, quod in ultima vocis *dedet* syllaba est, natura non magis productum est, quam in vocis *tempestatebus* paenultima. Neque enim propter illa *redieit*, *auspicāt*, *posidēt*, atque etiam *fuīt* colligendum videtur, omnia eiusmodi in versu Saturnio produci debere, sed potius vocum iambicarum ultimam non secus atque in ceteris eiusdem aetatis metris ad corripiendum nescio quomodo procliviorem esse. Eandem excusationem illud *danŭnt* habebit in tabula Sorana, quod tamen per pyrrhichium ita appellandum

erit, si quis *Hercolei* disyllabum hoc loco minus probaverit:

Donu danŭnt Hercolei   maxsume mereto.

Qui versus eodem fere modo procedit, quo ille

Duonoro optumo   fuise viro.

Danunt enim per se non magis mirum est, quam comicorum illa *habĕnt despicatu*, *sedĕntarius*, *ferĕntarius*, *volŭntate*, *talĕntum*, alia, praesertim si scripturam *dedrot* pro eo, quod est *dederunt*, comparaveris.

Synizesium autem, quae nunc quidem a viris doctis huic metro sat largiter tribuuntur, pauca admodum exempla repperi eaque lenissima, qualia sunt *meas* in tabula Caecilii, *eorum* apud Naevium, *eius* in tabula Mummii et apud Naevium, tum, quod postea videbimus, *auream* apud eundem. Cetera aut falsa sunt aut certe dubia.

Haec fere sunt, quae in tanta reliquiarum penuria ad leges et licentias antiquissimi Romanorum versus illustrandas colligere potui. Quae cum satis explicata esse videantur, iam a singulis versibus ad eorum complexiones transeamus. Atque in maioribus operibus, qualia erant Livii Andronici Odissia et Naevii Bellum Punicum, dubium non est, quin versiculi nullo certo ordine observato alius alium exceperint. In brevioribus autem monumentis varia complexionum artificia apparent. Nam plerumque animadvertimus binos versus sententiarum vinculo arte inter se cohaerere, quo interdum constans aliqua et perpetua formae varietas accedat. Scipionum quidem elogia omnia ita se habent, ut e ternis binorum versuum strophis constare videantur. Recte enim iudicasse arbitror Buechelerum et Spen-

gelium, qui in P. Cornelii P. f. Scipionis elogio primum versum postea demum additum esse censuissent. Atque in hoc elogio et in Lucii Gn. f. Barbati versus ita se excipiunt, ut prior quisque thesi careat hoc modo:

Mors perfecit, tua ut essent   omnia brevia:
Honos fama virtusque,   gloria atque ingenium.

Quibus sei in longa licuiset   tibe utier vita,
Facile facteis superases   gloriam maiorum.

Quare lubens te in gremiu,   Scipio, recipit
Terra, Publi, prognatum   Publio, Corneli.

Barbati elogium eodem modo compositum est, nisi quod in primo versu propter nomen proprium theses integrae sunt. Sic enim se habet:

Cornelius Lucius   Scipio Barbatus,
Gnaivod patre prognatus,   fortis vir sapiensque,

Quoius forma virtutei   parisuma fuit,
Consol censor aidilis   quei fuit apud vos,

Taurasia Cisauna   Samnio cepit,
Subigit omne Loucanam   opsidesque abdoucit.

In Lucii Barbati f. elogio, cuius exemplum supra appositum est, animadvertere licet primae strophae et tertiae versiculos post arsim tertiam incidi, mediae post thesim. In alterius Lucii tabula ego nullum reperio artificium, quo singulae strophae significentur, neque magis in Naevii epigrammate sepulcrali.

Aliud est stropharum genus, cum ad versus Saturnios integros hemistichia aut particulae non aliter atque in versibus scaenicis clausulae accesserunt. Quod genus nescio an carmen Arvale existimandum sit, in quo

duobus Saturniis integris praeter prius Saturnii hemistichium, quod versus intercalaris munere fungatur, duo posteriora eiusdem metri hemistichia addita sint hunc in modum:

Enos, Lases, iuvate.

Neve luerve, Mars, sins incurrer*e* in pleores.
Satur fu, fēre Mars, limen sali, sta berber.

Semunis alternei
Advocapit conctos.
Enos, Marmar, iuvato.

In secundo versu *Mars* pro *Marmar* sive *Marma* meo periculo scripsi, ne versus titubaret. Ceterum in re tam obscura nihil affirmare ausim.

Mummii autem tabula triumphalis quin κατὰ στροφὰς composita sit, nemo iam dubitat, sed quomodo digeri possit, inter homines doctos non convenit. Atque Ritschelius quattuor versus integros repperisse visus est, quorum duo extremi vereor ut Saturnii sint, et clausulam trochaicam, quae est:

Imperator dedicat.

Quam cum Buechelerus impugnasset, quod versibus iambicis addita esset, Spengelius p. 93 tres versus integros constituit, quos haec clausula iambica exciperet:

Hanc aedem et signum Hercūlis
Victoris imperator dedicat.

Verum tamen, cum et integer versus, qui clausulam antecedat, plures ob causas male se habeat et vocis *Herculis* paenultima nescio quomodo producenda sit et pentameter iambicus sane mirus esse videatur, ego versiculos sic dispescendos esse censeo:

Ductu auspicio imperioque eius Achaia capta,
Corinto deleto Romam redieit triumphans.

Ob hasce res

Bene gestas quōd in bello voverāt hanc aedem
Et signum Herculis victoris imperator

Dedicat.

Habemus igitur strophas duas, binum versuum Saturniorum utramque, quorum prior quisque post thesim, posterior post arsim inciditur. Clausulae particulae sunt eiusdem metri, si, quicquid post diaeresim remanebit, ademeris, sed altera prioris dimidii, altera posterioris. Et in primo quidem versu *eius* unam syllabam facere supra significavimus, in quarto *quod* ante diaeresim legitime productum est. Clausula autem illa trochaica versibus iambicis addita hic non plus offensionis habet, quam eiusdem ambitus vocula *occidi* in Terentii Eun. II, 3,1 (292) versibus iambicis septenariis et octonariis interposita. Deinde clausulae similis est dimeter iambicus inter trochaeos Ter. Andr. I, 5,17 (252), Eun. II, 1,3 (209), dimeter trochaicus inter iambicos octonarios Plaut. Amph. V, 1,20 (1072), dimeter trochaicus catalecticus inter iambicos octonarium et septenarium Curc. I, 2,69 (156). Quid quod eundem Spengelium dipodiam trochaicam catalecticam ad iambicum octonarium adiunctam Rud. IV, 3,12 non aspernatum esse apparet p. 153 libri, quem «T. Maccium Plautum» inscripsit? Et retiarii cantilena iambica, quae apud Festum s. v. *retiarius* apposita est, trochaeo clauditur sic:

Non te peto
Piscem peto:
Quid me fugis,
Galle?

Quae consuetudo etiam in populorum Romanensium carmina manavit. Et Arnoldus Maruellius, Provinciae Romanae poeta non ignobilis, longam epistulam versibus iambicis quaternariis plerumque normae convenientibus conscriptam claudit sic:

Vens*a*–us per mi tot eissamens
Amors que totas cauzas vens,

Dona!

Tum, quod superest, versus Saturnius, quanquam nostro in exemplo propemodum in iambicum abiit, tamen, si originem repetas, eodem fere iure iambicus et trochaicus dici potest. Si cui autem hoc minus probabile visum erit, clausulam non ad praecedentia, sed ad sequentia pertinere, is meminerit Terentianum illud *occidi* in ipso scaenae principio positum esse, itemque *Dorio* Phorm. III, 2,1 (485).

E binis igitur versibus Saturniis strophas plerumque constare vidimus. Sed etiam unius versus stropham, nimirum clausulis adiunctis, in Vergilii Eurysacis monumento Spengelius p. 94 verissime distinxit sic:

Est hoc monimentum Marcei Vergilei·Eurysacis,

Pistoris rēdemptoris.

Apparet.

Scilicet integrum versum hemistichium sequitur. *Re* enim particulam, quippe ex ablativo *red* ortam, antiquitus produci solitam esse Corssenus probavit, Spen-

gelius exemplis Plautinis confirmavit. *Apparet* autem, sive eiusdem metri particula est sive a versus ratione plane alienum, certe simile est illius *triumpe,* quod post carmen Arvale quinquiens repetitum est.

Sed cum trimetri, e quibus versum Saturnium ortum esse vidimus, non modo cum illo in unam stropham coacti, sed etiam per se usurparentur, ex iis ipsis cum eorum particulis strophae fieri poterant, quod genus est inscriptio in Atistiae memoriam Eurysacis momumento incisa, quae inter alia trimetrorum exempla adscripta est. In Saturnios enim integros ut redigatur, id quod nuper Bartschius facere conatus est, fieri non potest, quin multa et eiciantur et mutentur. Spengelii autem ratio propterea minus proba videtur quod ultimo versiculo et clausula coniunctis idem, quem in Mummii tabula inesse voluit, mirus quidam pentameter iambicus succrescit:

Quot superant sunt in hoc panario.

At nostra ratione probata stropha fit quattuor trimetrorum, quibus adiecta est clausula

Panario,

qualis est in Mummii tabula

Ob hasce res.

Animadverte, hos trimetros multo aliter constitutos esse, ac si essent hemistichia versus Saturnii. Nam neque diaeresium studium inest et metrum propter brevium multitudinem quasi saltitat et vocis *opituma* ultima, si ex ceterarum huius loci thesium similitudine iudicare licet, correpta est.

His rebus, ut potui, explicatis iam huius partis finem facturus eram, cum mihi Bartschii, viri in dialectis et Germanicis et Romanensibus in primis versati, libellus in conspectum venit. Ex quo intellexi, quanquam non uno in genere sufficerent, quae a me iam exposita essent, non inutile futurum esse, si quamvis pauca adiecissem. Ac primum quod accentum in versu Saturnio cum ictu metrico congruere solere affirmat, rem plane incertam pro certa habet. Quale enim accentus studium in eiusmodi versibus dicas, qui post alteram arsim diaeresi incidantur? Quae quo magis observantur, eo meliores sunt versus, quamvis hanc eandem ob causam accentus et ictus metricus plerumque inter se dissideant, ut in his versibus:

Consol censōr aidilis — quei fuīt apud vos.
Consol censōr aidilis — hic fuēt apud vos.
Quoiei vitā defecit — non honos honore.
Inmortalis mortalis — si foret fas flere.
Aut in Pylūm adveniens — aut ibī ommentans.
Topper facīt homones — ut prius fuerunt.
Noctu Troiad exibant — capitibūs opertis.
Quam cum stupro redire — ad suos popularis.
Corinto deleto — Romam redieit triumphans.

Atqui saepe numero poetae, si vellent, maiorem concentum adsequi poterant, modo verba transposuissent eadem fere ratione ac nos fecimus, ubi de diaeresibus disputavimus.

Sed quid multa? Ex omnibus versibus Saturniis, quos circiter CXX habemus, hi fere Bartschii sententiae non omnino repugnant:

Cornelius Lucīus — Scipio Barbatus.
Taurasia Cisauna — Samnio cepit.

Honc oino ploirume cosentiont Romane.
Lucīom Scipione filios Barbati.
Aetate quom parva posidēt hoc saxsum.
Bene gestas quōd in bello voverāt hanc aedem.
Et signum Herculis victoris imperator.
Est hoc monimentum Marcei Vergilei Eurysacis.
Argenteo polubro et aureo glutro.
Superbiter contemptim conterit legiones.

Itaque decem sunt exempla, non plura, sed vel in his illius convenientiae causae minime obscurae sunt. Nam aut diaereses prave neglectae sunt aut thesis intercidit aut vox longior duos ictus recipit, quorum alter eundem cum accentu locum forte fortuna occupet, aut aliquid, quod consulto expetitum esse credibile non est. Nihil igitur praesidii Bentleiana ictuum ratio in versus Saturnii reliquiis habet. Alii ad Gellii VII (VI H.), 7 forsitan perfugerint, quo loco accentus et ictus consensio confirmari videtur. Verum tamen ne hoc quidem munimentum satis tutum est. Annianus enim hoc dicit, se Probum grammaticum audivisse in quodam Cistellariae Plautinae versu vocis *affatim* primam acuentem, neque illam dicendi rationem probare vult hoc versu. Idem Annianus *exadversum* secunda syllaba acuta appellabat «atque» ut Gellii verbis utar «ita oportere apud Terentium legi dicebat in his versibus», quos adscribit. Addebat, *ad* praepositionem acui debere, quandoque ἐπίτασιν significaret. Quod praeceptum Gellius probare conatur in voces *adpotus*, *adprimus*, *adprime* non cadere, quanquam concedit id quod est *adprobus* ita appellari, et, cum rarior sit vox, e Caecilii Triumpho eius testimonium apponit. Deinde ἐπιτάσεως genus, non accentum spectans verbum minus usitatum auctoris nomine confirmat. «*Ad*-

primum autem» inquit «longe primum L. Livius in Odissia dicit in hoc versu

Ibidemque vir summus   adprimus Patroclus.

Idem Livius in Odissia *praemodum* dicit», cuius vocis significatio statim explicatur. Quo facto ad accentum rediens adicit: «in quo scilicet prima acui debebit», id quod certe non e Livii versu, quem ne adscribit quidem, sed e paenultimae natura, de qua paullo supra disseruit, didicisse existimandus est. Neque enim illud *autem*, quod post adprimi vocabulum est, ad ea, quae de accentu deque paenultimae natura disputata sunt, pertinet, sed idem hic significat, quod alibi *ceterum*. Itaque neque exempla neque antiquorum memoria accentum in versu Saturnio, ne alia metra commemorem, ullius momenti esse comprobant. Bartschius autem, cum in dialectorum Germanicarum natura investiganda totum se collocavisset, Bentlei rationem quippe sibi propiorem cupidius amplexus, re nondum bene perspecta ad versus Saturnii et Germanicorum voculationes comparandas continuo perrexit. Eandem, opinor, ob causam alliterationis quae dicitur exempla nimis avide captavit, quod artificium ab hoc versu non magis, quam ab aliis alienum esse fateor, verum tam late patere etiam atque etiam nego. Nam, nisi fortuita eundem in censum venire iubeamus, voces sensu inter se cohaerentes ab eadem litera subinde ordiuntur. Ita nomen cum adiectivo: *leibereis lubentes*, *virum — vorsutum*, *mare magnum*, *insulam integram*, *domum decorem—divitem*, et cum appositione: *Proserpina puer*. Verbum cum regimine: *patre prognatus*, *victus est virtutei*, *donu danunt*, *traditus thesauro*, *sagmina*

sumpserunt. Verbum cum adverbio: *aspere afleicta*, de quo dubito, deinde *maxsume mereto, contemptim conterit, satis sardare.* Voces per asyndeton copulatae: *consol censor, fundit fugat.* Interdum fit, ut duabus causis coniunctis plurium vocabulorum prima eadem sit, ut in his: *si foret fas flere, loquier lingua latina, vicisatim volvi victoriam.* Similis est verborum eiusdem originis copulatio, ut *auspicat auspicium, onerariae onustae, alius aliunde.* Itaque satis multa exempla collegimus, neque tamen eiusmodi, quae Germanicae alliterationis leges referant. Eorum enim similia etiam in versu heroo, praecipue apud Lucretium inveneris. Quid? nonne in nostra poesi populari, quanquam huius ornamenti minime studiosa est, tamen vel in ea exempla non desunt latinis illis haud dissimilia, ut сѣрый селезень, душа-дѣвица, крутъ красенъ бережекъ, воръ-воробей, alia, ne figuram etymologicam et cetera id genus commemorem? Denique hoc intellegi volo, alliterationem a versu Saturnio non illam quidem alienam esse, neque tamen hanc rem nimis urgeri gravioremque existimari oportere, quam est. Quid quod homoteleutorum quoque et assonantiae exempla in hoc eodem versu inveniuntur? Bartschius autem, dum similitudines sectatur, haec rursus mirum in modum exaggeravit, cum eodem adnumerasset tanquam sono sibi respondentia *Herculis—victoris, Orcino—thesauro, creterras—lepistas* alia, quorum similis esset hic versus germanicus:

Thie fúriston thàz gihôrtùn ioh eín girâti dâtùn.

At, ut terminationum convenientia audiatur, sic legere cogimur:

Ferúnt pulcrás cretérrás   aúreás lepístás,

id est pro ternis quaternos ictus ponere. Et vero p. 35 sqq. hoc ipsum diserte confirmatur apponunturque exempla, quorum unum est hoc:

Semól te oránt se vótí   crébro cóndémnés.

Argumenta autem sunt Germanicae similitudines et aliquot versus corrupti aut male digesti, qualis est hic quasi de Mummii tabula sumptus p. 37:

Hanc aédem et sígnu Hérculís   dédicát victórís,

e quo scilicet, ut parvum, vox *imperator* eiecta est. Sed, quod mirum est, Westphalius, qui quantum de re metrica meritus sit, satis constat, artis rhythmicae Graecae similitudine ductus idem fere, quod Bartschius, docet. Nam, cum versus Saturnius catalecticis non dissimilis sit, doctissimus ille vir in eo non secus atque in illis ad syllabam paenultimam τονῆς sive extentionis ope dimidiam eius partem, quae in thesi sit, adicit scanditque:

Summás opés qui régúm,

et, ut analogia servetur, etiam alterum dimidium:

régiás refrégít.

Vide Metricae II 2 p. 252. Sed ne hanc quidem rationem, quanquam multo melior sit, ad quattuor ictus probandos sufficere arbitror. Nam, ut alia, quae hac de re supra dixi, missa faciam, quonam modo Westphalius legit hos versus:

Honc oino ploirume   cosentiont Romane
Duonoro optumo   fuise viro?

Num ita *cósêntiónt?* Atque Bartschio ne hoc quidem religiosum est, cum in eiusmodi versibus verba violenter caesura dirumpere licere existimet, ut legatur p. 33:

Honc oino ploirume co-   sentiont Romai.

In illo autem altero versiculo, quod genus versus Bartschius ille quidem ignorat, ego autem recte significasse videor, ne minime quidem religiosus homo quattuor ictus reppererit. Neque vero quicquam in versu Saturnio Graeca catalexi explicari potest, cum trochaicus sit addita anacrusi, non iambicus. Sed de hoc loco satis. Caesura autem hoc in versu quam sancte observaretur, iam vidimus. In Nibelungiadis versu quod non modo monosyllabum, verum etiam disyllabi, cuius prima vocalis esset, partem priorem e posteriore hemistichio in prius transferri dixit anacrusis pinguioris vitandae causa, si prius in vocalem caderet, ego, quanquam cum tanto viro his de rebus contendere non ausim, tamen, quid hoc sibi velit, mihi non planum esse fateor, praesertim cum haud raro fiat, ut pinguissimae anacruses tolerentur. Nam si tales versus minime offendunt, quales sunt hi:

Des ántwùrte Híldebrànd: «zwiu verwîszet ír mir dász?
Nu wer wás, der ûfem schíldè vor dem Wásgensteìne sász?»

quid est causae, cur hos:

Dô sprách der vógt von Rînè: ich wil sélber án den sê.
Ez hât nu állez éndè, unser sórge und únser leít

ita legi oportere arbitremur, ut prius dimidium claudatur sic:

Dô spràch der vógt von Rîn': ích.
Ez hât nu állez énd', ún-?

Atqui subinde in anacrusi accentus prosaicus scandendo praeteritur, ut in hoc:

Hiltebránt hárte báldè.

Quae anacrusis, cum tardissima sit, luce clarius ostendit, Germanos hoc in genere non nimis delicatos fuisse. Et qui artissimis cognationis vinculis cum eis coniuncti sunt, Scandinavos dico, minime offendebantur huiusmodi versibus:

Hvérr *e*r sâ h*i*nn hvélli, Er gengr hárdhar gǿtur.
Mjǿk fast kýssir Ok hefir múnna tvâ.

In sloco Indico durissimum anacrusis exemplum est apud Mânum VI, 10:

Uttarâyańam ca kramaço.

Neque lenius nostratium versus populares interdum incipiunt, ut hi:

Втапоры ла́сковый Влади́міръ князь ве́селъ сталъ (Соловъ. Будим.).
Припасъ про кня́зя Влади́міра поче́стный столъ (Дюкъ Степан.).

Quae ego non additurus eram, nisi Bartschii libellus ea ipsa, quae refutabam, novis argumentis communita sub iudicium revocavisset. Nam vel sic verendum mihi erat, nequis Martialis verbis loquacitati meae iam dudum finem imponeret:

Ohe, iam satis est, ohe, libelle!

Sed antequam versus Saturnii reliquias adscribam, operae pretium facturus esse videor, siqua et ignorantia et inepta doctrinae ostentatione male mulcata pro mea parte emendare conatus fuerim. Ac primum quidem quattuor versus heroos habemus, tres e Livii Odissia, unum e Naevii Bello Punico, quae poemata versu Saturnio concepta fuisse, inter omnes constat. Atque Livio tribuuntur hi:

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.
Cum socios nostros mandisset impius Ciclops.
Inferus an superus tibi fert deus funera, Ulixes.

Naevio hic:

Convenit, regnum simul atque locos ut haberent.

Neque ita multis ac magnis mutationibus e versibus Saturniis heroi orti sunt. Nam primus aut talis fuerat, qualem Spengelius eum fuisse coniecit,

at celeris
Hastā volans perrumpit pectorā ferro

— de utraque enim huius adiectivi forma loquitur, qui eum servavit, Priscianus VII, 57 ed. Hertz.—aut sic, ut id quod est *volans* metri gratia putemus additum esse:

At celer hastā perrumpit pectorā ferro.

Neque apud Homerum ulla fit volatus mentio: dicit enim Od. XXII, 83 simpliciter Ἐν δέ οἱ ἥπατι πῆξε θοὸν βέλος. Denique, utut res se habet, et *hasta* trochaicum et *pectora* dactylicum a versu Saturnio certe aliena sunt. In secundo autem versu quin Hermannus recte reposuerit *mandidisset*, minime dubitari posse

videtur. Apud Priscianum enim, ubi hic versus legitur, VIII, 60 in editione Hertziana sic scriptum est: «'Mando, mandis': eius praeteritum perfectum quidem alii 'mandui', alii 'mandidi' esse voluerunt, Livius tamen in Odissia:

Cum socios nostros mandisset impius Ciclops;

a 'strido' quoque alii 'stridui', alii 'stridi' protulerunt. Ennius in annalium XI:

Missaque per pectus, dum transit, striderat hasta».

Quo loco nonne mirum est, *mandui* et *mandidi*, id est formas non adeo frequentes, commemorari, *mandi*, quod usitatius est, quasi aliquid normae repugnans in Livii demum versu, antiquissimi poetae, particula *tamen* addita ostendi? *Mandidi* autem, ut *descendidi* Valerii Antiatis apud Gellium VII (VI II), 9, *abscondidi* Plauti Merc. II, 3,25, similia, antiquius est, quam *mandi*, minusque usitatum. Huc accedit, quod utrumque stridendi perfectum *stridui* et *stridi* cum eis, quae praecedunt, particula *quoque* coniuncta sunt, ut significaretur similitudo. Ex quo consequitur, ut in Prisciani praecepto *mandi*, in Livii versu *mandidisset* legendum sit. Pronomen autem *nostros*, quippe quod hoc loco (Od. XX, 19) necessarium non sit, metri causa additum esse existimare licet. Quae si recte disputata sunt, talis a Livii manu versus profectus est:

Quom socios mandidisset impius Ciclops.

De mutae autem cum liquida coniunctae vi supra satis dictum est. Tertium versiculum qui corrupit, duorum verborum traiectione videtur usus esse. Nam si Od. X, 64, quod Livii exemplar hoc loco fuisse Her-

mannus existimat, diligenter comparaverimus, vix dubium erit, quin poetae manus haec fuerit:

inferūs an superus
Tibī deus ferebat funerā, Ulixes?

Ἔχραε igitur per idem tempus vertit, κακὸς autem, cum iam prope Romanus factus esset et Romanis scriberet, ad verbum exprimere religiosum esse censuit, quem ad modum Catullus, quanquam negligentius et dissolutius vidit saeculum, tamen, cum hoc Sapphus paullo vehementius vellet vertere:

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν
Ἔμμεν ὤνηρ,

nefas esse duxit exemplaris vim simpliciter augere, ut hoc diceret, illum sibi deos videri superare: dixit

Ille, si fas est, superare divos.

Haec propterea addidi, nequis hunc Livii versum ad XI, 135 aut alio potius referendum esse existimaret. Apparet enim non alium locum atque hunc

τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων;

poetam nostrum, qua quidem posset, fide expressisse. In quarto Naeviano iam verborum ordo, qui in versu Saturnio ab usu quotidiano non multum abscedit, eum, qui heroum concinnavit, traiectione sat largiter usum esse ostendit. Usitata autem verborum collocatio, cum in voce *simul* plurimum ponderis inesse perspicuum sit, haec fere habenda est:

Convenit, simul ut regnum et locos haberent.

Itaque pro versibus herois prope nullo negotio Saturnios restituimus. Sed quaesierit quispiam, a quo fac-

tum sit, ut antiquis illis versibus dactylici substituerentur. Ego vero sic existimo, haec fragmenta, cum a dactylis aut spondeis inciperent, initio suo librarios aut lectores sciolos pellexisse, ut herois versibus ea concepta fuisse arbitrarentur. Nam quid heroum versum et Saturnium intercederet, etiam non indoctos illos correctores latuisse, Varronis de lingua Latina librorum codex, quem editio princeps expressit, satis significat, in quo hexametro dactylico, qui VII, 44 M. positus est, inepte superscriptum est *Saturnio in carmine*. Vide, quae Muellerus ad VII, 43 adnotavit. Quod cum cum ita esset, librarius aut aliquis literarum studiosus, postquam legit:

At celer hasta
Cum socios
Inferus an superus tibi
Convenit simul ut regnum

et quibus haec fragmenta clauduntur:

perrumpit pectora ferro.
impius Ciclops.
funera Ulixes.
haberent,

praesertim si Livium et Naevium carmina epica fecisse audiverat, temperare sibi non potuit, quin etiam, quae reliqua essent, ad idem metrum, quod principia referre viderentur, transponendo et addendo et resecando adaptaret. Neque mirum est, eum, cum maiorem versus heroi partem videret:

Convenit simul ut regnum,

ita sibi persuasisse, non alius metri vestigia ante oculos sibi versari, ut, etiamsi hoc ipsum initium, quod

eum fefellisset, transpositione immutandum esset, tamen in poetae manu, ut putabat, restituenda perseverare suum esse duceret. *S* autem litera detracta et terminatio *et* producta, quibus Prisciani librorum corrector in duobus Livii versibus interpolandis usus est, sententiam, quam de librariorum arbitrio et opera protulimus, infirmare ac diluere minime possunt. Quanquam enim eiusmodi praecepta non vulgaris doctrinae, ut tum res erat, habenda sunt, tamen homines literarum studiosi, quales eos fuisse necesse est, utrumque scire poterant, cum vel apud Ciceronem legissent

vita illa dignu' locoque

et

Noenum rumores ponebat ante salutem.

Quam ob rem nihil obstat, quin etiam eum Livii versum, quem secundum attulimus, praeter aliorum sententiam in herois numeremus. Atque in fragmento quodam, quod Naevio tribuit Angeli Mai interpres Vergilianus ad Aen. II, 678, plerique autem Probi ad Buc. VI, 13 auctoritate fisi Ennio vindicant, hunc eundem interpolandi laborem librarium illum quidem suscepisse, sed, cum res male procederet, ad finem non perduxisse existimo. Optimi enim Saturnii sunt, modo verbum mutilum resarciamus et vocum *ut pectus* ordinem commutemus sic:

doctus
Anchisa, quem Venus pulcherrimā de(arum)
Fatā docet, divinum pectus ūt haberet.

Corrector autem heroum fecit:

Div(om) fata docet, divinum ut pectus haberet.

Fortasse eadem ratione Naevii versus correctus est apud Priscianum VI, 47 ed. Hertz.:

magnamque domum decoremque
Ditem vexarant.

Nam quoniam et *que* particula in Saturnio versu non corripi videtur et forma brevior *ditem* metro repugnat, dubium non est, quin talis fuerit:

Magnam domum decoremque divitem vexarant.

Alterum corruptelae genus est, quod dubito num de industria ortum sit, si versus initium omissum est. Qualia sunt haec Liviana:

(Meam) matrem procĭtum plurimi venerunt.
(Aut) in Pylūm adveniens aut ibĭ ommentans,

quorum in altero ex Od. I, 248:

Τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται

pronomen, in altero ex Od. II, 317:

'Ηὲ Πύλονδ' ἐλθὼν ἢ αὐτοῦ τῷδ' ἐνὶ δήμῳ

coniunctio nuper addita sunt. In mediis fragmentis sive librarii neglegentia sive quod inutilia aut spuria deprehendisse sibi visus est, idem vitium subinde invenitur. In Isidori quidem Originum XIX, 4 haec Livio tribuuntur: «Tumque remos iussit religare struppis», quae ab omnibus, quod sciam, editoribus et interpretibus ad Od. II, 422 (XV, 287) referri solent. Sed, ut difficultates, quae e metricis rationibus exsistunt, silentio praeteream, hoc fragmentum eiusmodi est, ut, si narrationis nexum spectaveris, nullo modo intellegi possit. Narrat enim Homerus, Telemachum, cum navigaturus esset, navem cum sociis et Minerva

conscendisse, illos, postquam retinacula soluta essent, ad scalmos consedisse, Minervam autem ventum secundum Zephyrum stridentem per mare misisse. Quae postquam narravit, hoc addit:

Τηλέμαχος δ'ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσεν
Ὅπλων ἅπτεσθαι.

Graecus igitur poeta, cum variis de rebus dixisset, ad Telemachum denuo se convertens nominatim, ut hominem prudentem decebat, eius mentionem fecit. In Livii autem versione, cum particula *que* nihil, quod ad hoc enuntiatum referretur, ante excidisse significet, nonne Minervam, quae ultima commemorata sit, intellegi consentaneum est? Quam ob rem recte fecisse videtur Spengelius, ut pronomen *ille* inserendum esse conice-ret. Porro, quoniam *religare* hoc loco non pone ligare, ut Freundius in lexico interpretatur, sed solvere significat, vocabulo *struppis* praeverbium *e* praemittere possumus, quo propter diaeresim opus est, ut fiat versus huiusmodi:

Tumqu*e* (ille) remos iussit relligar*e* (e) struppis.

Deinde Naevii sunt tres versus in Probi commentariis in Verg. Ecl. 6, 31, quorum duo bene se habent:

Postquām avēm aspexit in templo Anchisa,
Sacr*a* in mensa Penati*um* ordinē ponuntur,

nisi, ut producta vitetur, scribendum sit *indu templo*. Tertius autem sic legitur: «inmolabat auream victimam pulcram». Quoniam autem id quod est *auream* cum synizesi dici potest, ut in Caeċilii elogio *meas*, nihil praeter anacrusim desideratur. Huc accedit, quod etiam sententiarum nexus particulam postulat, qua hic versus

ad praecedentia adnectatur. Scribendum est igitur fere sic:

(Dein) inmolabat auream victimam pulcram.

Tertium exemplum eiusdem Naevii est apud Priscianum VII, 75 ed. H.: «Senex fretus pietatei deum adlocutus summi deum regis fratrem Neptunum regnatorem marum». In quo cum vox *deum* tam exiguo intervallo iterata, tum diaeresium absentia et vocalium productarum magna copia legentem offendit. Itaque alterum *deum* e *divom* ortum esse et Iovis nomen excidisse supra coniecimus.

Iam Naevii duo versiculi, qui ab illo Merulae Calpurnio Pisone proditi sunt, tam bene se habent, ut dignissimi emendatione esse videantur. Sunt autem hi: «Qui terrai Latiai homines tuserunt vires frudesque Poenicas, fabor». Nam *terrai Latiai* ne quis putidam antiquitatis affectationem esse opinetur, dixit Ennius *Albai Longai* apud Atilium Fortunatianum p. 340 G., *silvai frondosai* apud Macrob. VI, 2, Plautus *magnai rei puplicai* Mil. II, 1,25 (103), Lucretius *gelidai stringor aquai* III, 687. Neque hiandum esse in caesura neque *hominis* primam produci neque inter ea, quae sunt *Poenicas* et *fabor*, thesim intercidere posse Merulae aetate notum erat. *Tunsi* perfectum Diomedes adnotavit p. 372 ed. Keil. *Vis* et *fraus* per oppositionem coniuncta sunt a Cicerone Off. I, 13 extr., *vires obtusas* dixit Lucretius III, 452. Denique indicativi in oratione obliqua positi tam frequentia sunt in prisca latinitate exempla, ut pro multis unum sufficiat Terentii Hec. III, 5,21 (471):

idque si nunc memorare hic velim,

Quam fideli animo et benigno in illam et clementi
fui.

Quae cum ita sint, sane operae pretium videtur periculum facere, si alterius versiculi prius hemistichium fulcire possimus. Atque inter ea, quae sunt *vires* et *frudes*, vocabulum nescio quomodo interiisse prope certum est, cum ne primam quidem vocis *frudes* literam in codice reperiri affirmet Merula. Aptius autem nihil invenio, quod hic inseratur, quam *opum* vocabulum, quod cum *viribus* coniunctum legitur in Ciceronis Tusc. III, 11,25, cum *contundendi* verbo in Sallustii Iug. 43. Sic igitur scribo:

Qui terrai Latiai hōmines tunserunt
Vires [opes f]rudesque Poenicas, fabor.

Contra aliena irrepsisse in hos versus supra vidimus:

At celer hasta (volans) perrumpit pectora ferro.
Transit Melitam Romanus (exercitus) insulam integram.

Coniecturam pro eis, quae non intellecta sunt, in M'. Caecilii elogio deprehendimus, ubi loco *Maanii* nominis *Maarco* scriptum est. Quam eandem correcturam Merula invenisse visus est in quodam Naevii versu apud Charis. p. 128 ed. Keil. Et vero, si consulis illius nomen a Polybio I, 16 recte proditum est, sic legamus necesse est:

Manius Valerius consul
Partēm exerciti in expeditionem
Ducit.

Ceterum primus versiculus, nisi forte *Manii* nomen, ut in Scipionis Barbati elogio *Lucii*, paenultima pro-

ducta hic legi possit, ei, qui in Barbati filii elogio quintus est, simillimus fuisse putandus est:

Hec cepit Corsica Aleriaque urbe.

Sequitur Odissiae Livianae fragmentum, quod apud Priscianum VI, 41 ed. Hertz. sic scriptum est: «Mea puera, quid verbi ex tuo ore supra fugit?», apud Charisium I p. 84 ed. Keil. sic: «Mea puer, quid verbi ex tuo ore audio?», e quibus Guentherus duos versus facit. Verum tamen num credibile est, unum Homeri versum:

Τέκνον ἐμόν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων,

qui, quod sciam, ter, Od. I, 64, V, 22, XIX, 492, ne syllaba quidem mutata recurreret, praeter necessitatem alibi aliter a Livio expressum esse? Huc accedit, quod, quicumque vocativus praemissus est, haec interrogandi formula non modo in Odyssia, verum etiam in Iliade, si recte memini, semper eadem manet, ut nulla fiat audiendi mentio. Confer Od. III, 230 Τηλέμαχε, XXI, 168 Λειῶδες, Il. IV, 350 et XIV, 83 Ἀτρεΐδη. Nihil igitur reliquum est, nisi ut medium quoddam vocabulum in communi Prisciani et Charisii fonte fuisse suspicemur, quod altera parte voci *audio*, altera vocibus *supra fugit* simile esset, totum autem Graeco φύγεν responderet. Quid vero utrique condicioni magis conveniens reperiri potest, quam verbum *aufugit*? Quod si in eius scriptoris codice archetypo, quo et Priscianus et Charisius hoc loco usi essent auctore, non satis clare exaratum esset, qui illius libros describerent, alios priorem huius verbi partem, alios posteriorem eruisse, reliqua de coniectura addidisse probabile est. Neque metrum huiusmodi emendationi adversatur: im-

mo vero pro duobus versibus, qui nulli sunt, unus succrescit bonus:

Meā puer, quid verbi   ex tu*o* or*e* aufugit?

Hoc tamen restat; ut inquiramus, utrum ***puer*** an ***puera*** hoc loco a Livio positum sit. Priscianus enim hoc versu utitur, ut vocabulum ***puèra*** confirmet, Charisius, ut ***puer*** femininum. Sed fieri potest, ut non solum apud illum utriusque grammatici auctorem, verum etiam in Odissiae Livianae codicibus scriptura variaverit, praesertim cum in Odissiae versu, qui supra positus est, nunc quidem in Prisciani libris scriptum exstet:

Sancta puer Saturni   filia regina,

in alio autem eiusdem poetae apud Priscianum VI, 42 H., qui versus e dramate aliquo videtur sumptus esse sine perspicuitatis damno aliter legere non liceat atque sic:

Puerarum manibus confectum pulcherrime.

Mirus autem est imperfecti abusus, quem itidem e coniectura ortum esse arbitror. In opusculo enim de natura rerum, quod Muellerus Festo suo adiecit, p. 382 haec leguntur: «***Flustra*** motus maris sine tempestate fluctuantis. Naevius in Bello Poenico in inscriptione quod ait: 'Honerariae honustae stabant in flustris', ut si diceret ***in salo***». Ac de illa quidem inscriptione vide, si otium est, quae Klussmannus et Pfavius ad hunc locum adnotaverunt. Nostra autem interest, ut posterius hemistichium mendo metrico liberetur. Neque obscurum est, ubi lateat: nam nisi imperfecti producta terminatio thesi suppressae praecederet, nihil esset, quod dubitationem moveret. Itaque pro eo, quod est

stabant, scribi potest *stant ibi* vel simile quid. Sed praeter hanc flustrorum definitionem alia est apud Festum p. 89 ed. Muell., qua vocabuli vis melius apparet: «*Flustra* dicuntur, cum in mari fluctus non moventur, quam Graeci μαλακίαν vocant». Est autem adverbium *statim*, quod, si cum standi verbo coniunctum sit, ut in Plauti Amph. I, 1, 120 (276), luculenter maris tranquillitatem depingat. Adde, quod eius prior syllaba propter similitudinem vicinarum *stae* et *sta* omitti, ex altera autem *tim* complexio *bant* oriri poterat. Versus igitur talis erit:

Honerariae honustae   stant statīm in flustris.

Tum in Naevii versu, qui servatus est apud Nonium s. v. *gratulari* p. 116 ed. Merc., 80 Gerl. et Roth., pro imperfecto iam dudum praesens poni coeptum est hunc in modum:

Amulius gratulatur   dis.

Ceterum *Amulius* pro *Amullo* Stephanus, Hermannus, alii scripserunt, *dis* pro *divis* ego, ne syllaba producta, cum vitari posset, quem non deberet locum occuparet.

Jam ad quattuor fragmenta pervenimus, quae, cum variis foedisque corruptelis scateant, ab aliis editoribus aliter digeruntur atque emendantur. Mihi quidem persuasum est, haec frustula tot ac tantos casus adversos vidisse, ut, nisi audacissimae coniecturae adhibeantur, ne transversum quidem digitum, ut aiunt, possint procedere. Quod cum ita sit, non vereor me temeritatis crimini obicere, non quo hanc virorum doctorum crucem a me sublatam iri confidam, sed potius

ut peritiores ad eundem laborem acrius suscipiendum instigem.

Primum igitur apud Festum s. v. *topper* p. 352 ed. M. tanquam Naevianum hoc adscriptum est: «Namque nullum peius macerat humanum, quamde mare saevum: vires quoi sunt magnae, topper confringent inportunae undae». Sed viri docti Livii nomen excidisse non temere suspicantur. Nam et Festi oratio hoc loco satis hiulca et inconcinna est et fragmentum ipsum ex Od. VIII, 138 sq. conversum esse apparet:

> Οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι κακώτερον ἄλλο θαλάσσης
> Ἄνδρα γε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη.

Versus autem non modo Saturnii, se ne alius quidem ullum est in his Naevii sive Livii verbis vestigium. Verum tamen, si a fine ordiamur, *inportunae undae* vereor, ut inter duos versus distribui possint. Itaque, cum propter productarum magnam vim et diaeresium absentiam in posteriore hemistichio esse non possint, in priore ambo numerentur necesse est. Sic *topper confringent* ad posterius versus praecedentis referentur, modo pronomen *hunc*, quod propter enuntiati relativi vim concessivam non inutile erit, medium inseratur. Hoc autem enuntiatum ut prius hemistichium impleat, pro breviore *quoi* id, quod in L. Scipionis iunioris elogio est, *quoiei* disyllabum scribetur. Quo facto, ea, quae sunt *quamde mare saevum* et *namque nullum*, mutila duorum versuum hemistichia posteriora esse apparebit. Quae autem reliqua sunt, ne prioris hemistichii fines excedant, pro verbo *macerat*, quod creticum aequat, ponendum est *macit*, ut Ursinus vult, aut, quod ad codicum scripturam propius accedit, *macere*. De quo

verbo iam satis diximus, cum de *macti* vocabulo disserebamus. Restat igitur, ut verbum, a quo infinitivus *macere* pendeat, reperiamus. Atqui, cum omnium horum versuum posteriora dimidia manca esse viderimus, totum hunc locum in codice archetypo aut Festi aut Verrii Flacci ita scriptum fuisse fingere possumus, ut extrema casu aliquo infelici desiderarentur, hoc pacto:

namque |
nullum peius macere humanum quamde |
mare saevum vires quoi sunt magnae topper |
confringent inportunae undae. |

Periit igitur fere singularum syllabarum spatium. Atque dicendi aut existimandi verbum dubium non est, quin in primo versu fuerit. Sed quale fuerit, quaeritur. Nam si exemplar Graecum pressius sequeris, pones *aio,* quod tamen priorem producit, sin autem metrum magis curabis, scribes *puto*, cuius priorem syllabam coniunctionem *que* procreasse dixeris. Deinde *nullum*, cum semper adiectivum sit, aut in *nilum* aut, quod et ad metrum et ad literarum ductus magis conveniens est, in *nihilum* secunda producta mutabimus. Correptam enim ante Catullum non inveniri constat. In versu insequenti quid supplendum sit, nescio, nisi forte *istud* vel brevior eius forma *stud*, ne plus quam una syllaba hoc loco periisse videatur. Ceterum infinitivi *macerē* ultima producitur, ut in Terent. Andr. II, 6, 6 (437):

Potin es mihi verum dicerē? Nil facilius.

Sunt in coniunctivum convertendum esse, iam dudum alii perspexerunt. *Humanum* autem utrum mutandum sit in *homonem* necne, mihi dubium videtur, cum Lucretium

hoc adiectivo bis, III, 80 et 835, pro hominibus usum esse considero. Sed utut egeris, versus hi fere erunt:

Peius macerē humanum nam puto nihīlum quamde [stud]mare saevom:
Vires quoi[ei] sint magnae, topper [hunc] confringent
Inportun*ae* undae.

Non minus, nisi magis corrupta sunt Naevii verba apud Nonium s. v. *paciscunt* p. 267 Merc., 182 Gerl.: «Id quoque paciscunt, urmoenia sint quae Lutatium reconcilient captivos plurimos». Nam, quae secuntur, recte a Buechelero seiuncta sunt. Ac ***reconcilient captivos*** dubium non est quin prioris hemistichii sint, ***id quoquē paciscunt*** posterioris. Reliqua igitur integrum versum efficiant necesse est. Qui cum legitimum ambitum non habeat, id autem, quod est ***plurimos*** solum et quasi desertum in posteriore hemistichio esse videatur, nonne res ipsa hoc vocabulum in anteeuntem versum transferendum esse quodam modo significat? Et poterat e suo loco in alium versum migrare, si librarius, postquam verbum a se omissum esse animadvertit, propter angustum paginae spatium duorum versuum intervallum in commodum suum convertit hoc pacto:

id quoque
paciscunt urmoenia sint quae
plurimos
lutatium reconcilient captivos.

Atque ita dubium factum est, ad utrum versum vox ***plurimos*** referretur. Deinde, quoniam versus in dactylum cadere non potest, voci ***Lutatium*** accusativi ter-

minatio potius adimenda est, ut genetivus sit, qui a *captivis* pendeat. Postremum, ut illa *urmoenia sint quae* aliquando explicentur, eam pacis condicionem in memoriam reducemus, de qua Eutropius haec narrat II, 27: «Etiam Carthaginienses petierunt, ut redimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iussit sine pretio dari eos, qui in publica custodia essent: qui autem a privatis tenerentur, ut pretio dominis reddito Carthaginem redirent, atque id pretium ex fisco magis, quam a Carthaginiensibus solveretur». Quae cum exaggerata esse videantur, quo Romanorum animi magnitudo et liberalitas magis appareret, hoc tamen, nisi fallor, certum est, fuisse Poenorum captivos, qui a Romanis sine pretio dimissi essent. Quae cum ita sint, sic poetae manum restitui posse existimo:

id quoquē paciscunt,
Ut inmoeneis intēgros plurimos Lutati
Reconcilient captivos.

Eodem loco, quo illud lacunis foedatum fragmentum Livianum sive Naevianum legitur, quem locum mendis omne genus abundare vidimus, hoc Livii a Festo enotatum est: «Topper citi ad aedis venimus Circae: simul duona eorum portant ad navis». Quae autem secuntur, Festi, non Livii esse, iam dudum perspectum est, neque quisquam dubitat, quin, quantum adscripsimus, conversum sit ex Od. XII, 16 sqq.:

οὐδ' ἄρα Κίρκην
Ἐξ Ἀΐδεω ἐλθόντες ἐλήθομεν, ἀλλὰ μάλ' ὦκα
Ἦλθ' ἐντυναμένη· ἅμα δ'ἀμφίπολοι φέρον αὐτῇ
Σῖτον καὶ κρέα πολλὰ καὶ αἴθοπα οἶνον ἐρυθρόν.

Quae si cum Livii versione comparemus, quod Buechelerus scribendum coniecit, *dona deorum* ante omnia recipi oportere fateamur necesse est. Fruges enim, caro, vinum dona sunt Cereris, Panos, Liberi. Pro eo tamen, quod est *simul*, quominus eiusdem invento *famulae* utamur, Graecum ἅμα impedit. Sed hoc mirum videtur, quod, cum apud Homerum Circen, quae mox locutura esset, ipsam advenisse diserte dictum sit, apud Livium eius adventus nulla fit mentio, quanquam adverbium *topper*, quod ut Graecum μάλ' ὦκα ad Circen, non ad Ulixem referri debeat, in ipso initio legitur. Quam ob rem adiectivum *citi* Guentherum sequentes in adverbium *ubi* mutabimus, praesertim si consideraverimus, adverbium *topper* per id, quod est *cito*, modo explicatum esse, ut praeter literarum similitudinem interpretatione librarius in errorem duceretur. Huc accedit, quod, si prior versus enuntiatum per se efficeret, cetera adscribere nihil opus erat. Quae causa simul obstat, ne versum intercidisse putemus, quo Circe advenisse significaretur, fere hoc genus:

Rescivit haec venitque re statim parata.

Nihil igitur reliquum est, nisi ut Circes adventum in secundo versu quaeramus, quo etiam vox *topper* referatur. Atque hic verbum *portant*, quoniam metrum turbat, dubium non est, quin mendosum sit. Ergo mutetur in verbum *protulit*, quod et Circes adventum et dona ab ea oblata complectatur. Quo facto, duos optimos versus habebimus:

Toppēr, ubī ad aedis venimus Circae,
Simul donā deorum protulīt ad navis.

Quanquam, quae dona deorum hic intellegenda sint, nisi exemplar Graecum noveris, per se satis obscurum esse non nego. Verum tamen, quaenam essent, non modo additum fuisse, sed etiam hanc explicationem ad nos pervenisse suspicor. Nam certe Livii sunt, quae leguntur apud Priscianum VI, 17 ed. H.: «Carnis vinumque quod libabant anclabatur». Qui locus ad Od. XXIII, 304 sq. vulgo referri solet. Sed Livius vereor ne aliud dixerit atque Homerus, cuius verba adscripsi:

Οἳ ἕθεν εἵνεκα πολλά, βόας καὶ ἴφια μῆλα,
Ἔσφαζον, πολλὸς δὲ πίθων ἠφύσσατο οἶνος.

Itaque proci multos boves et pecudes mactabant, multumque vinum e cadis haustum est. Apud Livium autem, si *anclabatur* est ἠφύσσατο, id est *hauriebatur*, carni praedicatum deerit. Audacius enim zeugma sit, quam pro prisci sermonis simplicitate. Verum *anclare*, quoniam eiusdem originis est atque *ancilla* et *anclabris* mensa, multo saepius administrandi vim obtinet. Et Festus anclabrem p. 10 ed. M. sic definit: «Mensa ministeriis aptata divinis». Itaque, si Livius huic verbo rariorem hauriendi sententiam subiecisset, certe Graecum πίθων non praeteriisset. Contra *quod libabant* plane otiosum est neque minus ambiguum, ut aliud hic subesse iure suspicari videar. Huc accedit, quod, utcunque digesseris, versus nullus erit. Sin autem cum eis, quae emendare modo conati sumus, coniungere velis, *anclandi* verbum ἀμφιπόλους exemplaris Graeci non male referat. Et emendatio, qualiscunque erit, in promptu est. Nam κρέα et οἶνον iam habemus, σῖτον autem, id est *fruges*, si eodem loco, quo apud Homerum est, addiderimus, prius hemistichium integrum erit.

Πολλὰ autem ex hoc *libabant*, in quo libendi notionem latere conicio, eliciemus. Neque enim illud *quod* pronomen sit necesse est, quod ad vinum pertineat, quoniam *quoad* non raro ita scribitur. Vide, quae Lachmannus ad Lucr. V, 1033 et Munro ad eiusdem II, 248 adnotaverunt, et *quoad* monosyllabum apud Plautum Asin. II, 2,30, Men. V, 2,20 et apud Horatium Sat. II, 3,91. Metri autem causa *quidem* particulam addemus, quae propter similitudinem facile excidere poterat, praesertim si per compendium scripta erat. Quae si vera sunt, sic fere Livius scripsit:

(Fruges) carnis vinumque, quod (quidem) libebat,
Anclabatur.

Sunt quaedam alia, quae a Buechelero, Guenthero, aliis ad versum Saturnium referuntur, quale est hoc Livii: «Vestis pulla, purpurea, ampla», quod Od. XIX, 225 simile est. Quae in metrum cogere quamquam non perdifficile est, tamen, cum aut locus aut nomen auctoris aut ipsum metrum ignotum sit, omni coniectura abstinere praestat. Ex eis autem, quos apud Livium Saturnios invenerunt homines docti, Niebuhrius, Hermannus, Duentzerus, alii, Marcii vaticinium (XXV, 12), quo clades Cannensis praedicta est, non aliter atque multae antiquissimae Romanorum sortes, heroorum versuum vestigia potius continet. Certe primi quidem versus maior pars integra est:

Amnem, Troiugenā, Cannam, Romane, fuge.

Nescio an herous sit hic:

Multaque milia occisā tua deferat amnis.

Reliquorum hi perexiguis mutationibus in idem metrum rediguntur:

Ne t*e* alienigenae cogant camp*o* in Diomedis.
Tute mihi, donec compleris sanguine campum.
In pontum magnum terrad ex frugiferenti.

Cetera utrum Saturniis versibus an aliis concepta fuerint, nunc difficile dictu est. Sed ut praecepta, quae hoc libello probare conati sumus, exemplo a nobis ficto demonstrentur, T. Quintii Cincinnati tabulam, cuius argumentum e Livii VI, 29 et Festi adnotatione s. v. *trientem* p. 363 M. nobis notum est, Duentzero maxime duce in versus redigere libet:

Hoc Juppiter cum divis omnibus dederunt,
Ut Quintius dictator in novem diebus
Urbes novem caperet et simul Praeneste.
Eius r*ei* ergo trientem tertium pondo
Iovi donum dicavit auream coronam.

VERSUS SATURNII

reliquiae.

I.

In aere aut in lapide incisa.

A.

Carmen Fratrum Arvalium (Ritshel. XXXV).

Enos, Lases, iuvate.

Neve luervē, Mars, sins incurrere in pleoris.
Satur fu, fĕre Mars: limen sali, sta berber.
Semunis alternei
Advocapit conctos.
Enos, Marmar, iuvato.
Triumpe, triumpe, triumpe, triumpe, triumpe.

B.

Scipionum Elogia.

I. (R. XXXVII).

Cornelius Lucĭus Scipio Barbatus,
Gnaivod patrē prognatus, fortĭs vir sapiensque,

Quoius formā virtutei   parisumā fūit,
Consol censōr aidilis   quei fuīt apud vos,
Taurasia Cisauna   Samnio cepit,
Subigīt omne Loucanam   opsidesqu*e* abdoucit.

II (R. XXXVIII).

Honc oino ploirume   cosentiont R[omane]
Duonoro optumo   fūĭsē vīro.
Lucīom Scipione: filios Barbati
Consol censōr aidilis   hic fuet a[pud vos].
Hec cepit Corsicā   Aleriaque urbe,
Dedĕt tempestatebūs   aide mereto [lubenter].

III (R. XXXIX).

(Qu*ei* apic*e* insignē dialis   flaminis gesistei)
Mors perfecit, tu*a* ut essent   omniā brevia:
Honos famā virtusque,   glori*a* atqu*e* ingenium.
Quibŭs *sei* in longa licuiset   tib*e* utier vita,
Facilē facteis superases   gloriam maiorum.
Quare lubens t*e* in gremiu,   Scipio, recipit
Terrā, Publi, prognatum   Publio, Corneli.

IV (R. XLI).

Magna sapientia   multasquē virtutes,
Aetatĕ quom parva,   posidēt hoc saxsum.
Quoiei vitā defecit,   non honos, honore,
Is hic situs, quei nunquam   victus est virtutei.
Annos gnatus vigintei   is [loc]eis mandatus.
Ne quairatīs honore,   quei minus sit ma-[ctus].

C.

Titulus Mummianus (R. LI).

Duct*u* auspici*o* imperioque   eius Achaia capta,
Corinto deleto   Romam redieit triumphans:

Ob hasce res
Bene gestas, quōd in bello voverāt, hanc aedem
Et signum Herculis victoris imperator
Dedicat.

D.

Dedicatio Sorana (R. LII).

Quod re sua difeidens aspere afleicta
Parens timens heic vovit, votŏ hoc soluto,
Decuma facta poloucta leibereis lubentes
Donu danunt Hercolei maxsume mereto,
Semol *te* orant, se voti crebro condemnes.

E.

Caecilii Elogium (R. LXIX).

Hoc est factum monumentum Maa[ni]o Caicilio.
Hospes, gratum *est*, qu*om* apud mēas restitistei seedes:
Bene rem geras et valeas, dormias sine qura.

F.

Eurysacis Elogium (R. LXXXVIII).

Est hoc monimentum Marcei Vergilei Eurysacis,
Pistoris rēdemptoris.
Apparet.

II.

Ex aliorum scriptis excerpta.

L. Livii Andronici Odissia.

I, 1 (Gell. XVIII, 9).

Virum mihī, Camena, insecē versutum.

45 (Prisc. VII, 22 H.).

Pater noster, Saturni filiē.

64 (Prisc. VI, 41 H. cfr Charis. I p. 84 Keil).

Meā puer, quid verbi ex tu*o* or*e* aufugit?

65 (Prisc. VII, 18 H.).

Nequē tam te s*um* oblitus, Lartiē noster.

136 sq. (Non. s. v. pollubrum p. 373 Gerl. et Roth).

Argenteo polubro et aureo glutro.

169 (Non. s. v. disertim p. 509 P.).

Tuquē mihī narrato omniā disertim.

225 (Prisc. VII, 41 H.).

qu*ae* haec daps est?
Qui festŭs dies?

248 (Paulus Festi s. v. procitum p. 225 Muell.).

[Meam] matrem procītum plurimi venerunt.

II, **99** sq. (Gell. III, 16).

Quando dies adveniet, quem profata Morta *est*.

317 (Fest. s. v. ommentans p. 190 M.)

[Aut] in Pylūm adveniens aut ibī ommentans.

422 (Isid. Orig. XIX, 4).

Tumqu*e* [ille] remos iussit relligar*e* [e] struppis.

III, **110** (Gell. VI, 7).

Ibidemquē vir summus adprimus Patrōclus.

IV, **212** aut X, 177 (Prisc. VI, 6 H.).

atqu*e* escas
Habe[a]mus mentionem.

495 (Fest. s. v. nequinont p. 162 M.).

Partīm errant, nequinont Graeciam redire.

512 (Prisc. VI, 42 H.).

Sanctā puer, Saturni filiā, regina.

557 (Prisc. VI, 18 H.).

Apud nymphām, Atlantis   filiam, Calÿpsonem.

V, **297** (Serv. ad Aen. I, 92).

igitur demūm Ulixi
Cor frixit prae pavore.

411 (Fest. s. v. ocrem p. 181 M.).

Celsosque ocris arvāque   pūtria et mare magnum.

VI, **142** (Diom. I p. 384 Keil.).

Utrum genuā amploctens   virginēm oraret.

295 (Charis. II p. 197 Keil.)

Ibī manens sedeto,   donicum videbis
Me carpento vehentem [in] domum venisse.

VIII, **88** (Fest. s. v. noegeum p. 174 M.).

Simul ac lacrimas dŏ ore   noegeo detersit.

138 (Paulus Festi s. v. topper p. 352 M.).

nam puto nihīlum
Peius macerē humanum   quamde [stud] mare saevum:
Vires quoi[ei] sint magnae, topper [hunc] confringent
Inportunae undae.

264 sq. (Prisc. IX, 33, X, 48 H., cfr Diom. I p. 369 Keil.).

Nexebant multa inter se   flexu[ē] nodorum
Dubio.

322 (Prisc. VI, 6 H.).

Mercurius cumque eo   filius Latonas.

480 (ibidem).

Nam divinā Monetas   filiā docuit.

X, **64** (Prisc. III, 20 H.).

Tibĭ deus ferebat inferŭs an superus funeră, Ulixes?

395 (Paulus Festi s. v. topper p. 352 M.).

Topper facĭt homones, ut [p]rius fuerunt.

XII, **16** sqq. (ibidem).

Toppēr, ubĭ ad aedis venimus Circae,
Simul donă [d]eorum protulĭt ad navis.

18 sq. (VI, 17 H.).

[Fruges], carnis vinumque, quod [quidem] libebat,
Anclabatur.

XIII, **40** (Non. s. v. fite p. 475 Gerl.).

sic quoquē fitumst.

XIV, **92** (Gell. VI, 7).

parcentes praemodum.

XVI, **98** (Prisc. IX, 47 H.).

quoni*am* audivi,
Paucis gavisi.

XX, **19** sq. (Prisc. VIII, 60 H.).

Cum socios mandi[di]sset impius Cĭclops.

367 sq. (Calpurn. Piso apud Merul. ad Enn. 253).

At vestros, d*um* hic mantatis, irruet nervos
Perdŭellis.

XXII, **80** (Prisc. VII, 57 H.).

At celer hastă perrumpit pectoră ferro.

Cn. Naevii Bellum Punicum.

I, **1** (Calpurn. Piso apud Merul. ad Enn. 41).

Qui terrai Latiai hōmines tuserunt

Vires [opes f]rudesque Poenicas, fabor.

2 (Mar. Victor. III, 18 p. 191 Gaisf., Atil. Fortun. I, 8 p. 326 Gaisf.).

Novem Iovis concordes filiae sorores.

3 (Interpr. Ang. Mai ad Verg. Aen. II, 678).

doctus
Anchisa, quem Venus pulcherimā de[arum]
Fatā docet, divinum pectus ūt haberet.

4 (Probus in Verg. Ecl. VI, 31 p. 14 Keil.).

Postquām avēm aspexit in[du] templ*o* Anchisa,
Sacr*a* in mensa Penati*um* ordinē ponuntur.
[Dein] inmolabat auream victimam pulcram.

5 (Non. s. v. castitas p. 133 Gerl.)

res divas
Edicit, praedicit castus.

6 (Prisc. VI, 6 H.).

Ei venīt in mentem hōminum furtunas.

7 (Serv. ad Aen. III, 10).

amborum uxores
Noctu Troiad exibant capitibūs opertis,
Flentes ambae, abeuntes lăcrumis cum multis.

8 (Serv. ad Aen. II, 797).

Eorum sectam secuntur [plurimi] mortales.

9 (ibidem).

Multi alii e Troia strenui vīri.

10 (ibidem).

ubī foras cum aur*o* iluc exibant.

11 (Prisc. VII, 75 H.).

Senex fretus pietatei divom adlocutus

[Iovis] summi deum regis fratrem Neptunum,
Regnatorem marum.

12 (Varro L. L. VII, 51 Muell.).

Patrem suum supremum optumūm appellat.

13 (Plot. V, 14 p. 282, Mar. Vict. III, 18 p. 191, At. Fort. I, 8 p. 324 Gaisf.).

Ferunt pulcras creterras, aureas lepistas.

14 (Macr. Sat. VI, 5 p. 528 Ian.).

silvicolae
Homines duelliqu*e* inertes.

15 (Prisc. VI, 6, cfr 26 H.)

Inerant signā expressa, quo modo Titani,
Bicorpores Gigantes magniquē Atlantes,
Runcūs atquē Purpureus, filii Terras.

II, **1** (Prisc. VI, 58 H.).

Iamqu*e* eius mentem furtuna fecerat quietem.

2 (Non. s. v. liquidum p. 228 cfr. s. v. percontа p. 322 Gerl.).

Doct*e* et blande percontat, Aeneas quo pacto
Tro*iam* urbem liquerit.

3 (Prisc. VI, 42 H.).

prim*a* incedit
Cereris Proserpinā puer.

4 (Macr. Sat. VI, 5 p. 528 Ian.).

Deindē pollens sagittis inclutūs arquitenens,
Sanctus Delphis prognatus Pythiūs Apollo.

5 (Non. s. v. gratulari p. 80 Gerl.).

[Man]usque surs*um* ad caelum sustulit suas rex
Amulius, gratulatur dis.

III, 1 (Paulus Festi s. v. sagmina p. 320 M.).

Scapos atquē verbenas sagminā sumpserunt.

2 (Non. s. v. atrox p. 54 Gerl.).

simūl atrociā porricerent
Extā ministratores.

3 (Charis. I p. 128 Keil.).

Ma[ni]us Valerius consul
Partēm exerciti in expeditionem
Ducit.

4a (Calp. Piso apud Merul. ad Enn. 617).

Sic Poeni contremiscunt artubūs unvorsim.

4b (ibidem et Non. s. v. metus p. 145 Gerl.).

Magni metus tumultus pectorā possidit.

5 (Fest. s. v. stuprum p. 317 M.).

Seseq*ue* ei perire mavolunt ibidem,
Quam cum stupro redire ad suos popularis.

6 (ibidem).

Sin illos deserant fortissumos vīros,
Magnum stuprum populo fīeri per gentis.

IV, 1 (Non s. v. concinnare p. 63 Gerl.).

Transit Melitam Romanus, insulām intēgram
Urit, populatur, vastat, r*em* hostium concinnat.

2 (Non. s. v. vicissatim p. 121 Gerl.).

vicisatim
Volvi victoriam.

3 (Non. s. v. auspicavi p. 318 Gerl.).

Verum praetōr advēnit, auspicāt auspicium
Prosper*um*.

4 (Non. s. v. danunt p. 68 Gerl.)

eam carnem
Victoribus danunt.

VI, 1 (Non. s vv. superbiter et contemptim p. 353 Gerl.).

Superbiter contemptim conterit legiones.

2 (Non. s. v. illico p. 222 Gerl.).

septimum decimum annum
Ilico sedent.

3 (Non. s. v. loca p. 143 Gerl.).

Convenit, simul ut regnum et locos haberent.

4 (Non. s. v. censere p. 182 Gerl.).

Consent eo venturum obviam Poenum.

VII, 1 (Non. s. v. paciscunt p. 322 Gerl.).

id quoquē paciscunt,
Ut inmoeneis intēgros plurimos Lutati
Reconcilient captivos.

Ex incertis eiusdem carminis libris

1 (Fest. s. v. quianam p. 257 M.).

summe deum regnator,
Quianam genus isti.

2 (Prisc. VI, 47 H.).

Magnam domum decoremque di[vi]tem vexarant.

3 (Isid. Orig. XIX, 22, Lexicogr. Vat. in Mai auct. class. VIII, 116).

pulcramque ex auro vestemquē citrosam.

4 (Auctor de nat. rer. in Festi ed. Muell. p. 382).

Onerariae onustae stant [sta]tīm in flustris.

5 (Paulus Festi s. v. rumitant p. 271 M.).

Simūl aliūs aliunde rumitant inter se.

6 (Donat. in Terent Andr. I, 1, 28).

Plerique omnes subiguntur sub suum iudicium.

7 (Prisc. V, 17, VI, 40 H.).

Fames acĕr augescit hostibus.

8 (Paulus Festi p. 323, Fest. p. 322 cfr Varro L. L. VIII, 108 M.)

quod bruti nec satis sardare
Queunt.

9 (Fest. s. v. topper p. 352 M.).

capesset
[Topper] flammam Volcani.

10 (Non. s. v. paciscunt p. 322 Gerl.).

Sicilienses paciscit obsides ut reddant.

Naevii Elogium

ab ipso confectum (Gell. I, 24).

Inmortales mortales si foret fas flere,
Flerent divae Camenae Naevium poetam.
Itaquĕ postquam *est* Orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Romae loquier lingua latina.

Adnotationes.

Carmen Arvale. V. 2 *Mars* p. 94. V. 3 *fĕre* p. 74.

Scipionum Elogia. I. V. 2 *fortĭs vir* p. 35. V. 3 p. 65 sqq.—II. V. 2 p. 71 sqq. V. 5 ibid. V. 6 p. 91. — III. V. 1 p. 92 sq. V. 2 Speng. p. 89. V. 4 p. 65 sqq.—IV. V. 1 p. 74 sqq. V. 2 p. 53 sq. V. 5 *loceis* p. 35 sq. V. 6 *mactus* p. 37 sq.

Titulus Mummianus p. 94. V. 1 *eius* p. 43.

Dedicatio Sorana. V. 4 p. 59 et 91 sq. V. 5 p. 55 sqq.

Caecilii Elogium. V. 1 *Maanio* p. 54 sq.

Livii Andronici Odissia. I, 45 *filiē* p. 82 sq. — 64 *aufugit* p. 114 sq.—65 *Lartiē* p. 82 sq. — 136 p. 65 sqq.—225 Speng. p. 105.—248 *meam* p. 110, *procitum* a prociundo IV coniug.—II, 317 *aut* ibid.—422 p. 110 sq.—III, 110 *Patrŏclus* p. 85.—IV, 213 cum Spengelio p. 106, coniunctivus pro indicativo ex emend. Hermanni propter exemplaris Graeci sententiam. — 557 *Calypsonem* p. 90. — V, 411 *pūtria* p. 84 sq. — VI, 295 *in* ab Hermanno additum est. — VIII, 88 *de ore* cum hiatu p. 80. — 138 p. 117 sqq. — 264 ab aliis ad Od. IV, 678 refertur, sed v. Duentzeri adnot. ad Od. VIII, 264, tum *flexue* p. 30.—322 p. 90. — 480 *divina* pro *diva*, quod in multis codd. est, e Sangall., Lugd. Bat., Carolir. — X, 64 p. 106 sq. — 395 *ut prius* Duentz. pro *utrius*. — XII, 16 et 18 p. 120 sqq.—XV, 92 dubito, utrum ita cum Speng. p. 106 an sic:

quoniām audivi, paucis
Gavisi.

Cfr V, 297 et Naevii elogium. — XX, 19 p. 105 sq.—XXII, 80 p. 105.

Naevii bellum punicum. I, 1 p. 112 sq.—3 p. 109 et fortasse *docuit*. — 4 p. 111 sq. — 5 cum caesura post III arsim aut ut p. 60.—6 *hōminum* p 61, *furtunas* codd., ut *frundes*, *promunturium*, alia.—7 *amborum* p. 34, *lācrumis* p. 84 sq.—8 p. 60.—9 *vīri* p. 72 sq.—10 *iluc* cfr p. 89 sq.—11 p. 70.—15 *Atlantis* nomen in codd. mirum in modum variat, ut mendum hoc in hemistichio latere videatur.—II, 1 *furtuna* codd., ut I, 6.—2 *Aenĕas* p. 34 sq.—3 cum Spengelio p. 103, qui scribit *por*. — 4 *que* a Vahleno eiectum est, quod v. p. 39.—5 *Manusque* Merula pro *is*

qui, *rex* Steph. pro *res*, *Amulius* Bentin. alii pro *Ammullus*, *gratulatur* Herm. pro *gratulabatur*, *dis* pro *divis* ego p. 116. – III, 2 ita Speng. p. 98.—3 p. 55 et 113 sq. — 4a p. 10 et 36. — 4b p. 10, *possīdit* Speng. p. 91. — 6 *vīros* p. 72 sq. — IV, 1 *insulām intēgram* p. 87 sqq.—2 *vicisatim* p. 90. — 3 Speng. p. 98 *prosprum*, ut Plaut. Pseud. 574. — 4 digessit Speng. p. 100.—VI, 2 *ilico* p. 90—3 p. 107.—VII, 1 p. 119 sq. — Incerta. 1 *deum* monosyll. propter p. 36. — 2 p. 60 et 110. — 3 nescio an pedestris oratio sit.—4 p. 62 et p. 115 sq.—5 *simūl aliūs* p. 79.—9 *topper* in codd. desideratur.

Naevii elogium. *Orcino* Carrio pro *orchi* codd.

Addenda et corrigenda.

P. 3 v. 10 infra l. Hermannus.

P. 4 v. 3 punctum excidit.

P. 12 v. 15 ante v. semper adde: fere.

P. 33. v. 1 l. kvaedhi.

P. 34. Diaeresis vis etiam inde perspicitur, quod verbum in altero hemistichio positum, si diaeresis accessit, e reliqua parte tam non pendet, ut ad proximum alterius hemistichii verbum referri possit. Quo in numero sunt hi versus:

Quei apice insigne dialis   flaminis gesistei.
Terra, Publi, prognatum   Publio, Corneli.
Pater noster, Saturni   filie.
Sancta puer, Saturni   filia, regina.
Apud nympham, Atlantis   filiam, Calypsonem.
Celsosque ocris arvaque   putria et mare magnum.

P. 47 v. 1 dele virgulam post v. alter.

P. 48 v. 5 l. *condemnes.*

P. 50. In secunda Rei Metricae editione Westphalius I p. 532, ubi de pausis sive χρόνοις κενοῖς agit, his utitur verbis:

«Ueber ihre Zulässigkeit im Metrum dürfen wir den Satz aufstellen, dass sie nur da vorkommen können, wo ein Wort zu Ende ist, also nur zwischen dem Aus—und Anlaute zwei benachbarter Wörter—wahrscheinlich aber auch nicht einmal zwischen solchen Wörtern, welche begrifflich eine enge Einheit bilden, also nicht zwischen Präposition und ihrem Casus, nicht bei Encliticis und Atonis u. s. w. Denn eine Pause im Inlaute des Wortes kann nicht gestattet sein, da sie die zusammengehörigen Silben auseinanderreissen würde. Dieser Satz ist zwar nicht von den Alten überliefert, aber Alles, was dieselben uns über die Pausen im Einzelnen berichten, stimmt damit überein.»

Quae ego propterea exscripsi integra, quod, quanquam ante hunc diem mihi ignota erant, tamen cum omnibus, quae ipse de thesibus omittendis disputavi, mirum in modum conveniunt.

P. 74. Cum hoc *que* disyllabo comparari potest hoc Ennianum, si bene scripsit Vahlenus p. 25:

Tarcuini corpus bona femina lavit et unxit.

P. 76 v.v. 4—5 digere sic:

inhospitalis victrices absorbet
Undā Latium legiones hōminum.

P. 85. De positione debili apud Graecos v. Westph. II 2 p. 291.

P. 89 v. 10 l. Melitam.

P. 96. Sero vidi retiarii cantilenam potius sotadicam esse.